Qk. 256. X 2054888 IV Z c 5035

SCRIPTA,

QVÆ

LYNCKERIANVM

NOMEN

PRÆFERVNT

VEL

AD ISTVD PERTINENT,

EDITA PLVRIMVM

ET ADHVC

EX MSCC.

EDENDA.

BIBLIOTHECA PONICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HALLE (SAALE)

JENÆ,

LITTERIS NISIANIS

CIↃ IↃC XCVI.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-80604-p0001-4

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-80604-p0002-0

I.

RATIO DOCENDÆ DISCENDÆQVE JVRISPRVDENTIÆ ROMANO GERMANICÆ:

Quâ non tantùm, quænam *Jura*, ſive *auctoritatis* ſive *doctrinæ* gratiâ, ſed & quâ formâ & *modô*, noſcenda ſint, tam per ADMINICVLA, (quibus & *oratio* & *ratio*, atque hæc in rebus *divinis* & *humanis*, juvatur,) quàm in ipsâ TRACTATIONE principali, oſtenditur. Et quidem id in ſtudiô cùm THEORETICO, (*Elementari* & *Acroamatico*: hôc iterum *Syſtematico* & *Textuali*:) tum PRACTICO, per omnes trituræ ſpecies. JENÆ, A. O. R. CIↃ IↃC XXCVI. in fol.

II.

SCIAGRAPHIA INSTITVTIONVM IMPERIALIVM:

Quâ *Librorum* & *Titulorum* exactisſima ſeries, per *dichotomias*, exhibetur: ut ſimul inde vim *terminorum*, & conſtitutionem *rerum*, ad ſolida veræ Jurisprudentiæ robora, haurire liceat. JENÆ, CIↃ IↃC LXXXVI. fol.

III.

FACIES GENVINA PANDECTARVM.

Seu Diſpoſitio *Dichotomica*, quâ conſtare oſtenditur Pandectarum *Libros* & *Titulos:* inſtitutô utiliſsimô; quippe quô non ſolùm *memoriæ* conſulitur, ut tenaciùs ei hæreat, ex ipsâ rerum ſerie perpetuâ, Librorum & Titulorum *ordo*; verùm etiam *fundamenta* Juris ipſa firmiùs nectuntur. JENÆ, CIↃ IↃC LXXXVII. in fol.

IV.

CONSPECTVS JVRIS PVBLICI ROMANO-GERMANICI:

Quô præitur Systemati *Juris Publici* Rom. Germanici, in *Præcognitis* & *Tractatione* ipsâ. Hâc autem & CONSTITVTIONIS Imperii, in *Imperantibus* & *Parentibus*; his iterum *Immediatis* & *Mediatis*: & REGIMINIS; ejusque tum in *Statu Summô*, tum in *Subalternô*. Equidem plura non tantùm heic videas Capita, cæteris Scriptoribus malè neglecta, sed & universa congruâ sede locata; ut Statui Imperii quælibet optimè conveniant. JENÆ, CIↃ IↃC LXXXVI. fol.

V.

DELINEATIO JVRIS FEVDALIS.

Seu *Tabula*, plenissimam istius Juris dispositionem, eamque in *Præcognitis* & *Cogno-*

ſcendis exhibens. His verò in JVRE ipsô, tàm in *genere* quàm in *ſpecie*, per *Conſentanea* & *Diſſentanea:* & in REMEDIIS, jus inde obtinendi. Vt adeò nec ullus in eo articulus deſiderari queat; omnes verò aptisſimô locô poſiti reperiantur: idque tum ad *Commentarios* eò dirigendos, tum ad *Obſervationum* loculos. JENÆ, CIↃ IↃC LXXXIIX. in fol.

VI.
DECRETALIVM PONTIFICII JVRIS METHODICA DISPOSITIO:

Quâ ſtudiosè id agitur, ut cùm *qualemcunque ordinem* in eis divinentur Alii: nunc quidem, *accuratum* eum eſſe, deprehendi posſit; qui & ad *rerum* doctrinam plurimum faciat. Quare non aliam diſpoſitionem, quàm *authenticam* illam, & ſatis idoneam, ſequendam ſibi cenſuit *Auctor*, in INSTITVTIONIBVS ſuis *Juris Canonici.* JENÆ, CIↃ IↃC LXXXI. fol.

VII.

SERIES OPERIS HVGONIS GROTII, De JVRE BELLI ET PACIS:

Quoniam circumferebantur *Tabulæ*, & aliquas ejus generis BOECLERVS Commentario ſuo addiderat, quæ hoc quidem opere minùs dignæ habitæ ſunt; quippe quod cùm varium, nec plenum, & ad *Belli* tempora magis directum ſit: non modò *lucem* majorem, & *ad ſupplementa* neceſſaria *indicem* quendam, ex Introductione methodicâ, ſortiri, ſed & *ordinem ſuum* meliùs tueri poterat. Hinc induſtriam hanc Auctori, unico olim in hoc genere, ex Ipſius ductu, impendere aliquando, tandemque Tabulam eam publico dare placuit. JENÆ, CIↃ IↃC LXXXVIII. in fol.

VIII.

SCIAGRAPHIA ETHICES JONSTONIANÆ

ET

ET

LIBRORVM POLITICORVM JVSTI LIPSII.

HAud dubiè distincta, eaque salutaris, docendi ratio est, in *Moralibus* & *Civilibus*: quâ cumprimis *Præcepta*, & quæ inde fluunt *Disquisitionum* momenta, inculcamus: SCIENTIAM appellat *Boxhornius*: deinceps verò *Monita* & *Exempla* tradimus; cui Parti VSVS nomen Ille impertit. Vnde cùm *Pars prior*, (quæ ferè in Civilibus *Architectonicæ* par est, ùt posterior *Consultativæ*,) variis *Auctoribus* nitatur; quorum delectus non adeò est difficilis: commodissimum, quantum ad *Posteriorem*, visum fuit, in *Moralibus*, JO. JONSTONI *Enchiridion*, ad quod non tantùm *Monita* plura, sed & *Exempla Moralia* referri possent; ùt & in *Civilibus* JVSTI LIPSII *Politicorum Libri* cæteris prævalent; (qui & *Monita* quædam cum *Exemplis* dedit explicatiùs:) quanquam illi ad *Principatum* directi sint; quoniam

nihilo-

nihilominùs *communia* præcepta omnia continent, & *loca Veterum* optima, plerumque majorem rerum frugem indicantia. Quare ut in usum similem habere *Loca* probè disposita, eademque memoriâ & judiciô complecti liceat, isthæc *Sciagraphia* contexta, eique *summa* etiam omnis *doctrinæ Lipsianæ* illata est. JENÆ CIↃ IↃC XXCV. fol.

IX.

INSTITVTIO ELOQVENTIÆ FORENSIS,

PER DOCTRINAS VETERVM PARITER AC RECENTIORVM PRINCIPVM ORATORVM:

Ad repellendos eos, qui *extemporaneos* Oratores, spretis ferè omnibus *artificiis*, per *Rudimenta* naturalia, effingere se posse, opinantur.

X.

ANALECTA EX DISCVRSIBVS ACADEMICIS, AD JVS VNIVERSVM,

Civile, *Feudale*, & *Canonicum*; *Privatum* ac *Publicum*: quando ad Scriptores, frequentiùs in Cursu Studiorum receptos, DD. LOCAMERVM, ad *Institt* Justinianeas, STRVVIVM ad *Pandectas*, EVNDEM ad *Jus Feudale*, SCHWEDERVM ad *Jus Publicum*, & DESELIVM ad *Jus Canonicum*, dissereretur, ab Auditoribus excepta: cum Indicibus. JENÆ CIↃ IↃC XCI. 4. Adjectæ sunt posthàc *Emendationes* necessariæ.

XI.

ANALECTA AD DISCIPLINAS PHILOSOPHICAS OMNES:

In complementum privatæ Institutionis, ut *Auctores* eò adhibiti majori usui esse possint.

XII.

NEXVS INSTITVTIONVM JVSTINIANEARVM:

Quem inter *singulos* §§. ostendunt *Tabulæ* Dichotomicæ; ut & *Introductioni*, simul

etiam

etiam *Dispositioni Principiorum* & *terminorum*, ad soliditatem doctrinarum & *nervum cujusque* §. percipiendum, inseruire queant. JENÆ CIↃ IↃC XCI. 8.

XIII.
INSTITVTIONES JVSTINIANEÆ.

Accuratiùs dispositæ, per *Summaria* singulorum §§. Subjectis *Lectionibus variis*: Illustratæ deinde *notis* & *commentariis* perpetuis, ad *textum* ejusque *vindicias* directis; additis quoque *supplementis* necessariis ex Partibus Juris reliquis, saltim ut breviculum omnium Capitum, congruis locis distributum, haberemus: ubique ostensô *Fori* usu, cui tutò insisti queat: cum *Indicibus* variis; veluti *Locorum singularium*, tum & *LL. SCC. Constit.* ùt & *Aa. Juris aliorumque*, in Instit. occurrentium: tum & *Verborum* & *Rerum*, per succum extremorum, *Pandectarum* & similium *Civilis* & *Canonici* Juris, titulorum, aptè concinnatis.

XIV.

VNIVERSI JVRIS PANDECTARVM METHODVS DICHOTOMICA.

Ejus *usum* Præfatio pluribus aperit: *Connexionem* scilicet exactam magis exhibet, *Rubricas* enucleat, *Partes* & *Membra* partium cujusque Tituli, quâ ratione per *Causas* vel *Tabulas* deduci, tum & sinuosi Juris articuli extricari & *distingui* possint, ostendit; & doctrinas Pandectarum ex Partibus Juris reliqui, etiam recentis, *supplet*: adeò ut ferè præeat *Commentariis* Pandectarum, qui ad Methodum illam exarati sunt. JENÆ, CIↃ IↃC LXXIIX. fol.

XV.

COMMENTARII IN VNIVERSVM JVS CIVILE ROMANO GERMANICVM: VII. PARTIBVS, AD SERIEM DIGESTORVM:

Qui-

Quibus non modò accuratè constituuntur DOCTRINARVM Capita; idque dichotomicâ, sive *Causarum* sive *Tabularum* specialium, methodô; quin & TEXTVS solidè & invictè à dubiis & impetitionibus quibusvis asseruntur: verùm etiam ubique ad VSVM FORI præcipua cura dirigitur. Et jam prelo parati sunt.

XVI.

FACIES CODICIS JVSTINIANEI,

Seu Dispositio *Librorum* & *Titulorum* Codicis, per *Tabulas* Dichotomicas: ubi simul expositio brevis non modò *Rubricarum* cujusque Tituli, cumprimis illorum, qui in Digestis non occurrunt; verùm etiam *Legum* præcipuarum, exhibetur: ita ut instar SVPPLEMENTI PANDECTARVM esse queat.

XVII.

SYSTEMA JVRIS PVBLICI ROM. GERMANICI.

Ad seriem *Conspectus*, in *Tabulâ* traditi, ordinatum,

XVIII.

PRÆCIPVA FEVDALIA.

Sive *Lectionum Publicarum Feudalium* succus; ut quæ vel *singularia* in eô Jure præstita, vel accuratiùs *disposita* aut *resoluta* sunt, per methodum consvetam *Capitum* ejus, *theticè*, & rationibus tamen munita, certis *Pensis*, tradantur.

XIX.

INSTITVTIONES JVRIS CANONICI,

Ad seriem *Decretalium* compositæ, & ad *Forum* utrumque, CATHOLICORVM

&

& NOSTRATIVM directæ; ut exinde PRINCIPIA genuina, & verus VSVS Canonici Juris, hauriri queant.

XX.

JVRISPRVDENTIA AXIOMATICA,

Per *Regulas generales*, & AXIOMATA, quæ *pluribus* Juris articulis applicari possunt, disposita; cum *declarationibus*, *ampliationibus* & *limitationibus*, ad eruenda inde JVRIVM SVBSIDIA, quando maximè decisionibus *in terminis* destituimur. Vnde & *Loca communia*, ex *universâ Philosophiâ* petita, è quorum apparatu argumenta, tàm *topica* quàm *necessaria*, promptè *invenire* & *dijudicare* liceat, passim inseruntur: ut vera hinc PHILOSOPHIA JVRIDICA, *Legibus Romanis* potissimùm instructa, nec non *exemplis*, ex Consiliis & Resolutionibus *Jurisconsultorum* petitis, firmata, enitescat.

XXI.

XXI.

COMMENTARIVS AD BOECLERI NOTITIAM IMPERII ROMANO-GERMANICI:

Quô ipsô evolvuntur ea omnia, quorum *Indicem* duntaxat Ille præbuit: sive JURIS PVBLICI ista sint, quorum pleraque, cumprimis ardua, Ipse affirmare vel negare vix sustinuit; sive ad ejusdem *Adminicula* pertineant, eaque tam POLITICA, quàm HISTORICA: Adeò ut nil jam in eô Librô, satis abruptô, reperiatur ampliùs, quod non plenissimè explicatum habeamus. Quin & *supplementa* integrarum doctrinarum accesserunt, pluresque passim observationes & resolutiones eorum, quæ usque in illô Jure inexplorata sunt: quapropter isthæc cura *Systematis* absoluti vicem subire poterit. Et nunc sub prelo est.

XXII.

COMMENTARIVS AD VLRICI HVBERI LIBROS De JVRE CIVITATIS.

VBi, inſertô *textu Auctoris*, non ſolùm *Jura communia*, quæ *intrà Civitates* vigent, ſicut inſtitutum illud *Huberus* profitebatur; ſed & hæc, quæ Civitates *invicem*, & *extrà eas poſitos*, continent, adeòqve univerſum JVS NATVRAE & GENTIVM, plenè ac ſolidè, expenſis variis & ambiguis omnium, maximè etiam *recentium*, Scriptorum, in eô ſtudiô traditionibus, exhibetur: ut non modò *ſecurè* his doctrinis inniti, ſed & easdem ad *uſum Fori* Romano Germanici, & ad firmamenta *propiora Civilium* Jurium, adhibere liceat. Sub prelo itidem verſatur.

XXIII.

PROTRIBVNALIA.

In his abruptè & *theticè* resolvitur, quicquid penè *arduum* est *Controversiarum* ad LIBROS IV. priores, seu πρῶτα *Pandectarum*. Nec solùm in *Cathedralibus* subsistitur, verùm & quæ *Forô* agitatæ sunt, suis locis discutiuntur; indicatis, sub finem Scripti, præcipui nominis *Auctoribus*. GIESSAE, CIↃ IↃC LXIX. 4.

XXIV.

DE GRAVAMINE EXTRA-JVDICIALI:

Et quatenus ab illo *provocare* liceat. In quô quicquid est *Remediorum* contrà *sententias informes*, & iniquos *ausûs Judicum*, aliarumq; *personarum publicarũ*, tam *secularium* quàm *Ecclesiasticarum*, exponitur. Tractatio ad *Imperii Judiciorum*, maximè *summorum*, obser-

van-

vantiam exacta: in quà non minùs impedita plura PROCESSVS IMPERIALIS, ùt & difficiles in *meritis causarum*, exempli locô adductarum, articuli resolvuntur: subjectô *Indice* uberrimô. GIESSAE CIↃ IↃC LXXII. 8.

XXV.

CONCORDANTIÆ JVRIS FEVDALIS:

Seu *Specimen* Concordantiarum *totius* CORPORIS *Juris Civilis*: ut non modò singulas inibi *voces*, verùm etiam *Sententias*, ex textu elicitas, reperire liceat; *usu multiplici*: ceu quidem ultrà XL. repræsentantur Usus hujus instituti in *Præfatione*; ubi simul de LEXICIS & REPERTORIIS Juridicis, & quàm illa non sufficiant, nec ullum ferè usuum illorum præstent, disseritur. JENAE CIↃ IↃC LXXXIIX. fol.

XXVI.

INSTRVCTORIVM FORENSE:

Ad universum OMNIVM SCIENTIARVM complexum, & cumprimis solidam *cujusq;* JVRIS PRVDENTIAM, quâ rebus publicis prospicimus, directum: ut ductum ejus secutus, in togâ, ad summa quælibet, eniti possit. *Introitu* de Constitutione *Ingeniorum* & Cultu eorundem, in *Præparatione* & *Aggressu* negotii, (ubi de DISCIPLINIS earumque *nexu*, ùt & *subsidiis* LIBRORVM,) agitur. *Instructio* verò *ipsa* subjicitur, in OBJECTO potiori, *juribus* AVTHENTICIS, & ea ILLVSTRANTIBVS aliis; tum in FORMA, quoad Doctrinam *comparandam* & *custodiendam*. *Istud* per ADMINICVLA, ORATIONIS; (ubi de LINGVIS & LITERATVRA; ad quam accuratissimus totius REI HISTORICAE complexus,

plexus, cum *affinibus*, sistitur:) & *Mentis* seu RATIONIS, irrigandæ Notitiâ Rerum Divinarum, in THEOLOGIA, & *Humanarum*, in PHILOSOPHIA; cui locô congruô RES MEDICA inseritur: tum per TRACTATIONEM *principalem*, quæ exhibetur ùt perficienda Studiô tum THEORETICO, (*elementari* & *acroamaticô*: hôc iterum, *Systematicô* & *Textuali*:) tum PRACTICO, in ACTIBVS seu Rebus ipsis, (quoad rem *publicam*, aut simul *privatam*, præparandis & deducendis; *hoc* in *Judicio* per varia PROCESSVVM genera:) & in STYLO CVRIÆ: tum *promiscuô*, in *Extrajudicialibus* & *Judicialibus*, tum peculiari *Publicis*; quæ vel ad *Exteros* potentes, vel ad *Imperium*, & hoc rursus in *statu summo* & *subalterno*, referuntur. Opus omnium instar BIBLIOTHECARVM, summâ industriâ, adscitis etiam millenis, sed tamen selectis, omnium ætatum, iisque integris AVCTORIBVS, exactissimè dispositum; additâ ubique *summâ* eorundem,

fatô etiam, *editione*, & de illis *judiciô*. JENÆ CIↃ IↃC XCI. fol.

XXVII.

VIGOR ROMANI JVRIS INTER JVRA PVBLICA ROMANO GERMAN. IMPERII.

Quòd ingentes ſint divitiæ *Iuris Romani*, ex quibus publicæ cauſæ *hodienum*, & *auctoritate* quidem *legali*, hoc eſt, irrefragabili, inſtrui posſint, heic evincitur.

XXVIII.

PRÆROGATIVA JVRIS CANONICI.

Hæc oſtenditur, tum ratione *Perſpicuitatis*, tum *Auctoritatis*, per ſingula Capita, quibus cum *Civili* Jure *concurrit*. Neque enim ſatis eſt, vel aliquos indicâsſe *articulos*, in qui-

quibus Jus Canonicum potius ſit; quippe qui *nec ſoli* ſunt, nec in iſtis *per omnia* præſtat Jus Canonicum: quin & in pluribus *æquè Proteſtantes ac Catholici* prærogativam illi tribuunt.

XXIX.

LAPSVVM GROTIANORVM SPECIMEN IN VNO CAP. X. LIB. II. D. J. BELLI ET PACIS.

Nemini rectiùs illi patere posſunt, quàm qui doctrinas ejus, quas ſæpè in hoc, ne *Romanorum aſserta* communia haberi, ſed ipſe *ultrà* in naturalibus *ſapere* videri posſet, conſultò à Romano Jure *abduxit*, ad *Diſputationes JCtorum Romanorum* exegerit. Et conſtat omninò ex hoc *ſpecimine*, nil ferè ſani in totô illô *Capite* reperiri; nec ſolùm illud ex *Romanô*, verùm ipsô etiam *Naturali* Jure, cui *conſonum* hâc quoque in parte *Romanum* eſt,

re-

refutari & ſubverti poſſe: Indeque tutisſimos eſſe *Juris naturalis Doctores*, qui *Romanorum ICtorum traditis*, quæ præ cæterorum curis præſtantisſima ſunt, inhærent.

XXX.

ATRIVM JVRIS PVBLICI.

Inſtituerat *Auctor*, Jus Publicum, inſtar *Emblematum*, per *theoremata* ſelectarum *Controverſiarum* tradere; citatis utrinq; præcipuis *Scriptoribus*. Hâc ipsâ parte igitur, quam *Io. Bernhardus Becker*, *VVeſtphalus*, in Auditorio publicô defendit, ATRIVM aperuit, inque eô TABVLAS, *Definitionis* JVRIS PVBLICI, *Diviſionis*, Ejusdem *Principiorum*, *Subjecti*, *Objecti*, (quæ eſt de IMPERIO ROMANO, in *Origine*, *Devolutione* & *Diſpoſitione* in *Circulos* & *Quaterniones*, *Statuq;* ejus & *Inſigniis*,) tum & *Formæ*, (ubi de *L. Regiâ*, *A. Bullâ*, *Capitulationibus*, *Pacificc.*, R. R. *Imp. Concordatis*, *Conſuetudinibus*, Uſuqve *Juris Iuſtinianei*, &c.)

Deni-

Denique *Contrariorum*, suspendit, GIESSÆ. CIↃ IↃC LXXI. in 8.

XXXI.

DE SVPERIORITATE TERRITORIALI, EJVSQVE JVRIBVS, COMMENTATIO VBERIOR:

Quæ non tantùm *generalia* SVPERIORITATIS, per *Constitutiva* & *Destructiva*: quibus nempe *Initiis* ea constet, *quibus* etiamnum, & *in quos* & *quæ bona*, tum *quòusque* competat, nec non *Remedia* circà illam adhibenda, tradit. Verùm & *in specie* singula ejus JVRA, quodlibet peculiari *Capite*, cum *Doctrinis* & *Quæstionibus* ad illud pertinentibus, ampliter & exactè repræsentat: antehàc ad *publicas Lectiones* comparata.

XXXII.

COMMENTATIO AD CAPITVLATIONEM LEOPOLDINAM.

Duabus *Partibus*: quarum PRIORI de *Capitulatione* in *genere* agitur, *Historiâ* illa-

rum & *naturâ* expositâ, tum & discussis, quæ de eâ *Limnæus* & *Alii* indigna maximè tradiderunt. POSTERIORI verò singuli Capitulationis ARTICVLI illustrantur, per IMPERIALIVM RERVM momenta; & quemadmodum quilibet eorum *natus* vel *auctus*, aliâve ratione *immutatus* aut *omissus* fuerit, ex *Historiâ* & *Prudentiâ Civili* curatè ostenditur. Additis quoque his, quæ in REGIA *Capitulatione* JOSEPHINA aliter habent.

XXXIII.

TABVLA FACTI.

CÙm FACTVM *infinitas* habeat *species*, quas tamen ut in *capita* distincta redigamus, ad *usum Iuris* omninò consultum est. Inde, quicquid est *Factorum*, inibi sedem suam habet; ut sive *nexum* ejus cum aliis, sive *opposita* ei facta intuearis, plurimum ex hoc facilitatis & perfectionis, in Facto quolibet, ad *Iurium applicationem*, consequi liceat. Eaqve jam alibi edita est.

XXXIV.

XXXIV.

DECISIONES JVRIDICÆ.

Ex triturâ *Iudiciorum* & *Dicasteriorum* quotidianâ exceptæ & illustratæ.

XXXV.

OBSERVATIONES FORENSES AD PROCESSVM JVDICIARIVM:

Vt cùm Articuli, quibus *Processus* absolvitur, omnes in *Commentario Pandectarum* plenè pertractentur: hîc solùm ad *Processûs varios*, per *Tabulas* dispositos, *cautiones* peculiares suggerantur, nec non *callida* eorum *scita* notentur, qui Fora obambulant.

XXXVI.

RATIONALE DIFFERENTIARVM IVRIS ELECTORALIS ET JVRIS DVCALIS SAXONICI.

Quoniam non modò apud *Duces Saxoniæ*, extrà terras Electorales, *cæteros*, plura ex *communi Jure Saxonico*, quàm in Electoratu, *retenta*, sed & multa *aliter constituta* & *recepta*

ſunt. Hinc quibus *rationibus* JVRA DVCALIA in his *Differentiis*, nitantur, ſolidè oſtenditur.

XXXVII.

Unterweißung / wie Beambten und Gerichts-Verwaltere / in Verführung peinlicher Proceßen / ſich zu verhalten; ſammt einem Bericht von dem Begnadigungs-Recht und deſſen Ubung / wie auch Minder und Verwandlung der Straffen.

XXXIIX.

RESPONSORVM JVRIS.

Qvæ partim *privatô*, partim *publicô Collegiorum* nomine edita ſunt,

VOLVMINA PLVRA.

Caſuum rariorum, ex *Civili*, *Canonico*, *Publicô* etiam & *Feudali* Jure, ſuccinctè & graviter exarata; atqve *rationibus* & *Auctorum* qvà fieri potuit, ſelectiorum calculis munita. Opus non *Foro* tantùm, atqve in eo magnam partem *publici*, tum *ſacri* tum *profani*, *Juris*, ſed & *Academiarum* uſui, accommodatum: cum *Summariis* & *Indicibus*. Eorum volumen unum proximè typis exſcribetur.

XXXIX.

XXXIX.

SCHEMA AVREÆ BVLLÆ.

Seu *Tabula*, qvæ *utramque Partem* AVREAE BVLLÆ, in ſingulis *Capitibus*, *ordine* ſatis aptô diſpoſitam, & ſimul cujusqve *ſummam* exhibet; ut non minùs inde *difficilia* qvædam expediri qveant.

XL.

NERVVS CAPITVLATIONIS CÆSAREÆ.

Sive præcipua illius *momenta*, *ſtrictim* & *ordinatè* expoſita.

XLI.

FLVCTVS INTERPRETVM, De COMMVNICATIONE MAJESTATIS EJVSVE JVRIVM, IN IMPERIO ROM. GERMANICO, compoſiti: Ut ſalva evadat Majeſtas Cæſaris.

Vbi de COMMVNICATIONE *univocâ* & *analogâ*; ISTA per *Indiviſionem* & *Uſurpationem*; ut *hæc* per *Delegationem*, in *toto* vel *par-*

te, & per *imputationem*, contingat. Hâc per *Superioritatem Territorialem*. Schema, ex qvo plura *difficilia* expedire, & ineptos Juris Publici blaterones confundere licet. JENAE, CIↃ IↃC XCII. 4.

XLII.

INDEX IN LAMPADIVM, DE REPVBL. ROM. GERM.

Libellô hôc, (qvi in *Partibus Duabus* prioribus *Adminicula* Jurisprudentiæ Publicæ, *Politicam* & *Historiam* Rei Romanæ exhibet; in *Tertiâ* demum *Tractationem principalem* exeqvitur,) non satis commodè uti, nec secernere doctrinarum ejus momenta, licebat. Itaqve hunc *Indicem locupletem* in Opusculũ istud conficere placuit. Fuerant enim, qvi antehàc eôdem, tanqvam *Manuali*, ad qvod commenta sua referrent, uterentur.

XLIII.

STATVS IMPERII ROM. GERMANICI:

seu Dissertationes Publicæ,

DE

DE

CIVIVM IMMEDIETATE: STATVVM SVPERIORITATE, LIBERTATE, POTENTATV: CÆSARIS ET REGIS MAIESTATE.

XLIV.

DE PONTIFICATV IMPP. ROMANORVM.

EUm retinuisse *Imperatores Christianos* post *Gratianum*, & asseruisse sibi eundem *Maximilianum Cæsarem*. Non esse coërcendam POTESTATEM SACRORVM intrà *Advocatiam Romanæ sedis*. De *Titulis Regum* Christianorum, qvando *Catholici*, *Christianissimi*, *Defensores Fidei*, audiunt. De *Primogenito Ecclesiæ*. ADVOCATIAM non esse nudum *titulum*, istis parem. Qvid per eam *Carolus Magnus*, qvid per PATRICIATVM consecutus sit. Ex hoc malè educi *Advocatiam*. Non esse illam ex *vulgarium* numero, quales *Advocatiæ Ecclesiarum* reliqvæ. *Patronum* qvoq; alios

per-

perperam nuncupare: *Præfectum* dici rectiùs, in vim Imperii. Qvâ ratione *Otto M. Defensoris* nomen usurpaverit, & *Henricus* II. titulô *S. Petri* usus sit. Consultam fuisse reductionem nominis *Advocatiæ* in CAPITVLATIONIBVS & *Imperii Recessibus*; qvod frustrà captaverint *Pontifices*. Cur *protestantes* illud fastidierint. Qvàm *Seldius* illam vocem perperam exposuerit. Cur *Ferdinandus* I. cautionem, ad postulationem Protestantium, *Capitulationi* suæ inferri noluerit: qvod admisit *Maximilianus II.* Et qvibus illa nitatur *rationibus*: tum & qvò collimet ea per *Protestantes* suscepta Cæsaris ab *Advocatiâ* exsolutio. Nullatenùs sibi *Electores Protestantes* per hoc præjudicare, in aditu ad *culmen imperiale*. Et qvô fine nunc tandem stet *Advocatia* & *pontificatus cæsaris*.

XLV.

DE INCORPORATIONE TERRARVM IMPERIO DEBITA;

Si qvid earum *armis Imperialibus* recuperatur.

Eam

Eam fieri non posse; sed redituras esse terras illas ad *Dominos pristinos*, Imperio addictos. Quæ *Hungariæ* sunt, ad Imperium non respicere. Satis tamen *augeri Imperium*, si illa, qvæ extorta *recenti* memoriâ sunt, reducantur; ad *remotiora* spem nullam superesse. Hæc unicè fore, quæ ad *Incorporationem* trahenda fuerint.

XLVI.
RESTITVTA LITERARVM OBLIGATIO.

LITERIS *tolli* obligationem: an & Literis *constituatur*, (uti *Stipulatio* & tollit eam & constituit,) ultrà SPECIEM JVSTINIANEAM? obliteratæ quæstionis esse. Fuisse Obligationem Literarum *ante Justinianum*; cujus *speciem* tantùm conficiat illa, quam *Institutiones Justinianeæ* præferunt. De *Caji* locis. Non negare hunc, quòd *Contractus* quidam *Literarum* sit; ùt nec *Ulpianus* istud neget, nec *Modestinus*. *Justinianum* quoqve *salvam* obligationem hanc & integram *reliquisse*. Quam

v. Ille refinxit, *maximè* Literariam esse. Quid *Theophilus* velit? Oportere tamen distinctam haberi Literarum obligationem à SCRIPTVRIS illis, quæ negotiis aliis adhibentur. Malè referre *Galvanum* textûs, qui de *verbis scriptis* agunt, ad veterem *Contractum nominum*. Adducuntur *genuinæ* Obligationis literariæ SPECIES. *Justinianeam* intrà biennium esse sub specie *regularium*; post illud esse *anomalam*. PACTA ne hodiè quidem *actionem* producere. Obtinere verò STIPVLATIONEM INTERPRETATIVAM inter absentes. Obligationem *Literis* æquè ac *Verbis* potuisse induci, etiam *apud Veteres*, & etiamnum posse; nec minùs *pacta firmari* Literis: (*Epistolam*, sponsione insertâ, cedere in vicem *stipulationis*.) Id *JCC.* id *Impp.* velle. Quænam *ACTIO* ex L.O. competat: & de *singularibus speciei Justinianeæ*. Qvando potiùs ex *Verbis* aliôve genere contractûs detur Actio. De *Exceptione* NON NVMERATÆ PECVNIÆ, quatenùs illa ad *alias*

quo-

quoqve *causas* pertineat, quàm ad obligationem Literarum. De abolitâ NOMINVM OBLIGATIONE. Non esse illam *Argentariorum* Scripturas, neqve nomina *Calendario* illata, ùt nec *novationem* aliquam; sed eâdem creditorem & debitorem per *tabulas mutuas* nomen constituisse, seu substantiam ejus induxisse. Num & hodiè *Fidejussio inter absentes* quoqve fiat? JENÆ CIↃ IↃC XCIII. 8.

XLVII.
DE DOMO PRIVATA PRINCIPIS.

Sicut STATVM PRINCIPVM & COMITVM Imperii, tam quoad *summam Imperii* & *Comitiorum* rationem, (& in universum ea Jura, quæ ad LIBERTATEM Statuum & POTENTIAM Eorundem pertinent,) quàm etiam quoad SVPERIORITATEM TERRITORIALEM, cum *juribus* ejus, *alibi* traditum habemus. Ita in his *Libris* ad *Principum* PERSONAS & FAMILIAS respicitur, AVLASQVE

Eorüm & OECONOMIAM *rerum* ac *Patrimonii privati*, ejusqve *Jura*; nec non ad *Modos* & *Remedia*, quibus eadem Illos tueri & vindicare oportet. Tractatio, ex *antiquitate*, per *successionem temporum*, ad *nostrum ævum*, *Historicis* & *Politicis* momentis deducta, cumprimis autem ad solidas *juris*, tam *publici* quàm *privati*, rationes composita; ut cùm variis & ambiguis in utrôqve doctrinis *distrahamur*, nunc quibus inniti liceat, undiquaqve constet.

XLVIII.

PRAXIS JVRIS CANONICI IN FORO PROTESTANTIVM: LIBRI DVO.

QVorum VNVS Jus *Privatum*, ALTER *Publicum*, & tam *sacrum* quàm *Profanum*, respicit. In his id agitur, ut aptissimâ *dispositione* ostendatur, quòusque JVS CANONICVM, tum quà *differt* à Civili Jure, tum quà *solum* est, INTER PROTESTANTES vigeat: assertis omnibus, per *rationes* & *Auctoritates*,

tates, ſive *Doctorum* ſive *judiciorum*, munitis: idqve tam quoad *ſummum* Imperii *regimen*, quàm in *ſubalternô* Statuum Civiumqve ejus.

XLIX.

DE MAGNITVDINE ET PERSEVERANTIA IMPERII ROMANI.

LIBER SINGVLARIS:

Adverſus eos, qui *juribus* ejus, in partem Terrarum meliorem, reclamant; idemqve dudum *deſiſſe* volunt: redigentes illud ad exiguas in Urbe Româ & contermina quædam reliquias. Quare in hoc ſcripto omnia ſollicitè perquiruntur, quæ *hodienum* in Statu Imperii Germanici *ex Romano ſuperant*.

L.

DE JVRE SACRORVM, QVO CÆSAR MAJESTATE SVA VALET,

Tam quoad *Catholicos*, quàm *Proteſtantes*, *DISQVISITIO*.

LI.

DE EXORTV ELECTIONIS ET ELECTORVM IMPERATORIS ROMANI; SIMVL AC DE ORIGINE ELECTORALIVM OFFICIORVM.

Rationem aliquam SANGVINIS habitam in SVCCESSORIBVS IMPERATORVM *Romanorum*, ab initio *Principatûs*, ad noſtra usqve tempora; mixtâ libertate: idqve per *Imperantes ſingulos* ex *Hiſtoriâ* comprobatur. ELECTORVM ORIGINEM haudquaqvam ad *Ottonem* III. referri posſe, neqve cauſæ quid habuisſe *Recentes* aliquos, cur opinionem illam tantô ſtudiô reductam voluerint; ad quorum adeò *inſtantias* reſpondetur; additâ ſimul & evictâ verâ de *Origine Electorum* ſententiâ. Non etiam OFFICIA ELECTORVM SECVLARIA ſimul invaluisſe, nec initiô ſui in omnibus *Familiis* fuisſe ſtabilia. Quæ verò *Electores* debeant *Officia* BAMBERGENSI ECCLESIÆ: illa quidem & ipſa ad *Henrici* II. inſtitutum, ceu id vulgò ſolet, perperam referri.

LII.

LEGVM ROMANARVM DE PRÆJVDICIO PARTVS IN SPECIEM DISSIDENTIVM CONCILIATIO:

Vt oſtendatur, ſicut *nullibi* in *Civili Jure Romanô Juſtinianéo*, ita nec in iſtis, ANTINOMIAM occurrere. *Tabula*, quæ ſpecimen *Analyticum*, modumqve tutiùs *inter difficilia Legum* incedendi, præbere posſit. JENÆ CIↃ IↃC XCII. 4.

LIII.

SVPPETIÆ NOVÆ ET VNICÆ AD L. LXIX. PRO SOCIO:

Vbi adductis omnium *Interpretum* aliorum, quas magnâ induſtriâ indagarunt, medelis, earum nullâ *difficultatem Textûs* tolli posſe, commonſtratur : allatâ *unicâ* tandem ratione, quâ uti liceat, eâqve *irrefragabili*.

LIV.

AVSPICIA ACADEMICA:

Pro-

Professioni capessendæ, Ingressui *in Facultatem*, suscipiendo ac deponendo *Rectoratui*, *Licentiaturis*, & *Examinibus*, &c. præmissa; unà cum *Poëmatis*, ad Eruditorum *Scripta* & specimina, ùt & *solennia*, *læta* ac *tristia*, perscriptis.

LV.

NOTÆ SVBITANEÆ AD JO. HENRICI BOECLERI INSTITT. POLITICAS:

Vt cùm illæ, præ cæteris ejus generis, *doctrinas altiores* attingerent, instructas etiam recentiorum pariter & antiqvorum *Locis* selectioribus; ita ut non modò *Scientiam*, sed & *Usum* Prudentiæ Civilis ostenderent, eòqve ad Doctrinam Politicam *Pragmaticam* aptiores aliis haberi possent: *annotanda* nihilominùs essent loca nonnulla, quibus securè inniti non liceret; tum & *exponenda* alia, sicubi opus esset; quò inposterum tutò *usurparentur*, & cùmprimis ad *Prudentiam Publici Iuris* viam munirent.

LVI.

LVI.

DE LEGATO SECVNDO ET VLTERIORI.

Num ei *pares tituli* & *prærogativæ* cum Legato *Primo* tribui debeant. Ubi etiam de *Legatorum plurium* mittendorum usu, tum de eorum *commodis* & *incommodis*. De *Imparitate* numeri ab utrâqve parte. Quæstionem esse de Legatis *primi ordinis*; nullô inter *Ordinarios* & *Extraordinarios* discrimine. Asseritur deniqve, remotis contrariis, *Secundum* eodem loco habendum esse; nec tamen *Secundarium*.

LVII.

DE MANV REGIA DISSERTATIO:

Vbi, præmissâ de *Necessitate Civilis Imperii* doctrinâ, cui Cives obsecundare oporteat, *vitâ* suâ & *facultatibus*, subjicitur de *Dominio* EXCELLENTIÆ, quô *Deus* in hoc universum, inqve Hominem maximè, agit, Disquisitio. *Principis* IMPERIVM *eminens* & DOMINIVM quibus constet: circà quæ *Hobbesii* plura exami-

nantur. De *Jure* item REGIO in *Sacris*. Esse quoqve Dominium eminens in *limitatis Imperiis*. De *Libertate Obsequii*, quæ *Boxhornio* fingitur. Quænam ad *Jus eminens* perperam referantur. De *subjectis* illi Dominio: num ei subsint *Clerici*, *Advenæ*, *Transeuntes*. In *Dominia* & *Obligationes* quid valeat; quid etiam in *Privilegia*, inque *Reditûs Ecclesiarum*. De *compensatione* seu retributione amissorum, quam ex publico fieri convenit. Quantum valeat Jus eminens in *personas* vitamqve *Civium*; ubi de *Obsidibus*, *Deditis* libidini: de *hostiâ* subeundâ, ineundô *matrimoniô*, *religione* suscipiendâ. De supremô PAPÆ dominiô. De *Imperii Statibus*. De *Dictatore* Romanô, *Vicariis*, *Gubernatoribus* Regiis. De *Magistratûs Inferioris* Institutis extraordinariis. Deniqve *FLAGITIA DOMINATIONIS* à *manu regiâ* dissidere penitùs; tum & de *TYRANNIDE*.

LVIII.

PRÆSCRIPTIONES PVBLICÆ,

IN-

INAVGVRALIBVS LECTIONIBVS PRÆMISSÆ.

VARII ARGVMENTI:

Velut de *Excipiente*, num ille fateatur *intentionem* agentis? ad *L.9 C. de Except.* Ad *L. Lecta. d. Reb. Cred.* num *Pacta adjecta* insint *stricti Juris* negotiis? Quem sensum habeat difficilis illa *L. 2. C. d. Luit pign.* De *condemnatione* ob crimen, ex *Præsumtionibus*, ad *L. ult. c. d. Probat.* De amissione Juris sui per *violentiam*, ad *L.7. C. Unde vi.* De suppletorio *Iudicis* officio, ad *L. un. C. ut quæ desunt Advoc part. Iudex suppl.* De Prærogativis Judiciariis *Illustrium*, ad *L. 17. C d. Dignitatib.* De *Præscriptione* circà loca *publica*, ad *L. 7. d. Diverſ. temp. Præscript.* De necessitate subeundi *Juramenta* in *Clericis*, ad *Auth. sed hodiè. c. d. Episc. & Cler.* De durationе *actionis hypothecariæ*, extinctâ principali, ad *l. 7. §. 1. C. d. Præscript. 30. vel 40. ann.* Quatenùs exempla aliorum, & *consuetudo* loci, à *culpâ* excusent, ad *L. 9. C. d. pignorat. act.* De Differentiâ

directæ & utilis actionis, ad *L. 47. d. Neg. gest.* De Jure *Necessitatis*, ad *L. 3. C. d. Loc. Conduct.* Num *Dominii* translatio *citrà traditionem* procedat? ad *l. 20. C. d. Pactis.* Adv. *Galvanum*, nonnulla, de *Cautione Fructuariâ*, ad L. *4. C. de Usufructu.* De *Confiscatione* ob crimina, & potestate introducendi confiscationem, an illa *Dominio Territorii* competat? occasione L. *un C. Ne sinè jussu Principis cæteris Judicibus liceat confiscare.* De *Servitutibus voluptuariis*, ad *L. 8. d. Servitutib.* &c.

LIX.

DISS. INAVGVRAL. PRO LICENTIA, DE SEPARATIONE.

In quâ doctrina illa *Separationis Bonorum* plenâ *Causarum* methodo exhibetur. Esse Separationes *personarum* & *rerum*. *Harum*, singularum & universalium. *Hanc* variarum esse specierum: quam vel *heredes* impetrent, vel *creditores*. De eâ solùm, quam *hereditarii creditores* petunt, hîc agi. *Causa impulsiva* quænam

re-

remedii. *Efficientem principalem* esse *Confusionem* hereditatis. Separationem v. petere *creditores*, etiam in diem certum vel incertum; ùt & ex delicto. Quin & ex volunt. defuncti; quales sunt *Legatarii* & Fideic. etiã sub conditione tales. Item Donatarios mortis causâ: & in universum, quocunqve jure quid debeatur; licèt solùm *officiô judicis*. Unde & *heredi creditori* competere, qui cohæredem habet. In *concursu* si spectentur Creditores, dari quoq; *hypothecariis*. Non habere hoc beneficium *Creditores heredis*. Non Creditores ex obligatione *tantùm naturali*, aut *tantùm Civili*. Non rerum *Dominos*, ùt Legatarii sunt. Non Liberos ratione *Legitimæ*. Dari adv. heredem & ejus creditores. Quid si heres *fidejussori succedat*: tanquam principalis, aut extraneus. Quid si ex *substitutione*. Non separari bona, quæ heres *singulari* titulo à defuncto habet; non Feudalia: & quid de Feudo hereditario. Non ea, quæ in bonis esse desierunt, aut separari non possunt. Peti separa-

tionem in *forô* domicilii heredis. Sed non per *Procuratorem*, nisi speciali mandato instructum. Creditoribus defuncti *priùs* satisfieri oportere, etiam pro usuris; deinde ejus Legatariis. *Ad heredem* eos deinceps *reverti* non posse, ne quidem dimissis jam creditoribus heredis; nisi per officium Judicis. Cessare beneficium, si *heredem secuti* sint, non si eum judiciô petierint. Eidem quoque *præscribi* quinqvenniô; Posse tamen & per restitutionem in integrum, quem audiri, contrà separationem. *Inventarium* usui esse heredi, ut is sibi prospiciat. Sed separationem prospicere Creditoribus defuncti.

GIESSÆ. CIↃ IↃC LXIV. 4.

Eedetur denuò cum *Accessionibus*.

LX.

DISS. PRO LOCO IN FACVLT. DE BENEPLACITO:

Qvod cùm *simplex* sit seu *unilaterale*, vel *complexum*. SIMPLEX illud rursus vel *reservativum* vel *concessivum*: COMPLEXVM verò, quod mutuô consensu & conventione nititur. Ideò

hâc

hâc Disſertatione de *RESERVATIVO* tantùm *Beneplacitô* agitur; ejusq; *ſpecies* tam in *publicô* quàm *privato* occurrentes adducuntur: ſimul etiam exhibentur, quæ ad *circumſtantias* Beneplaciti, velut ad *qualitatem perſonæ* aut *objecti*, vel ad *quantitatem Temporis* & *Numeri*, ſpectant: *Effectibus* quoque Beneplaciti, prout *ſuſpenſivum* vel *reſolutivum* eſt, ſubnexis. Deniqve de *contrariis* disquiritur; velut *mutatione Voluntatis:* de *Morte* civili, & effluxu *temporis*; adjectis tandem *Affinibus*, inprimis *Precariô*, à quo quid differat Beneplacitum, diligenter exponitur: tum & de *Precariis Canonicis* & *Gratificatione* quid monetur. (Cæterùm de CONCESSIVO, ùt & de COMPLEXO ſ. mutuo Beneplacitô, *peculiaribus Disſertationibus* tractatur.) JENÆ CIↃ IↃC LXXVII. 4.

LXI.

DE IMPARI AD MORGANATICAM MATRIMONIO.

In hac *Diatribâ* de INÆQVALI *Conjugio*, ratione

Sta-

Statûs & *Conditionis* Personarum contrahentium, ex Legibus & exemplis *Gentium* & *Rerumpublicarum* in genere agitur. Dehinc ad MORGANATICAM *equinam* eâ uti possint? *quâ formâ* constet? quibus *Effectibus*, tam *in privatâ* domo, quoad *Dignitatem*, *Successionem*, &c. quàm ratione *aliorum*; & non minùs, quod *Imperii Statum* & *Jura* attinet, plenè tractatur: ùt & de *Contrariis*, quibus impediri, mutari, tolli effectûs illi possint. Subjectis *exemplis Germaniæ Procerum*, & *semotis aliquibus*, quæ eò non pertinent.

LXII.

TRACTATVS DE JVRE HABITATIONIS:

Vti *quotidianô*, ita *difficili* pariter articulô, & quem nemo aggressus est; per omnia *capita*, methodô ad *Causas* dispositâ. Præmissô *usu Domuum* privatô & civili ad securitatem: Habitationem esse peculiarem *Servitutem*, ostenditur. De *Sabinianorum* & *Proculianorum* dissensu. *Definitio.* De Habitatione Jure *Vsusfructûs*. *Vidui*. *Parochi*. Præscriptione eam constitui. Posse illam *commodari*, contrà *Anton. Fabrum*: item precariò concedi posse, ùt & donari, adv. *Eundem*: An eam *socius*, an nudus proprietarius, constituat? An alicui & heredibus possit. De Vxore cohabitante. Socero. Viduæ marito altero.

Pa-

Patre. Domino. Auctâ familiâ. Hoſpite. Inquilinô. *Ad tempus.* Conjunctim. Cum liberis. Cum onere alendi. Reipublicæ ſi conſtituatur. An in heredes tranſeat. Quid ſi in annos ſingulos conſtituta ſit. De Feudo habitationis. *Domus.* Hoſpitium. Ædes. Ædificium. Horti. Domicilium. Prætorium. Inſula. Diæta. Cœnaculum. Camera. Oſtium. Granarium. Taberna. Apotheca. De conſummatione ædium. Variæ *formæ* Legatorum. Si Teſtator domum unam, plures a nullam, habeat. De Horto, quando ad domum pertineat. De alimentis, ſupellectile legatâ. Vitreatis. Picturis. Vaſis. Contentis omnibus in domô. De habitatione honeſtâ, liberâ. Quando cenſeatur relicta proprietas. De penſione legatâ. De fundi reditibus. Vſufructu omnium bonorum. De Conditione Viduitatis, adjectâ habitationi. Si caſtè vixerit. Cum onere educandi liberos. In ſingulos annos. Quoadusque vivet. De capeſſendâ habitatione. De pignore habitationis. De *cautione.* Quomodo ſit dividua? quomodo facti? & quâ ratione cedi queat. An ſervitus *mixta* ſit. *Effectibus* quid differat ab Uſufructu & Uſu ædium. Quid ſi proprias ædes quis habeat, an poſſit habitationẽ locare? & an parochus poſſit ædes parochiales. Donare an poſſit, an commodare, an

vendere Habitator? De Cesſione. An pignori dare. Non posſe illum de proprietate diſponere. De refectione ædium,& immutatione. De culpâ habitatoris,& facto tertii. Ad *tributa* eum obſtringi. De Metatis. Decimis. Proprietarius quid in domô posſit; item qui in parte ſuperiori habitat. Non posſidere habitatorem. Habere ipſum jus braxandi. Hoſpitem non habitare. Habitatorem non protinus eſſe incolam. Quando Societas ex communi habitatione colligatur? item aditio hereditatis. Ex ſeparatâ habitatione tolli Patr. Poteſtatem. An uxor, cui habitatio relicta eſt cum liberis, ab his alenda ſit. An quæ à marito diſcedit? Æſtimatio habitationis legatæ. De *conſtituendâ* habitatione; & morâ heredis. De *Remediis* poſſesſoriis, cumprimis adv. *A. Fabrum*. Non accreſcere habitationem. Quomodo *deſinat*, ex modô & conditione; maximè habitatio cum liberis. Si proprietarius indigeat ædibus. Non utendo eam non perire; ſed tamen deteriorando. De morte habitatoris. An heres ejus expelli posſit propriâ auctoritate. De morte ejus, qui habitationem conduxit. De morte civili. Amisſione Dignitatis. Non amitti habitationem vitâ inhoneſtâ. De ædibus collapſis & reſtitutis. De Areâ. GIESSÆ CIↃ IↃC LXXIII. 4.

LXIII.

LXIII.

Zwey Bücher: Eines/von der Liebe Gottes gegen Uns: Das andere/von denen Pflichten Unserer gegen GOtt und den Nechsten.

LXIV.

ANDREÆ BILDERBECK, JVRIS LVBECENSIS PATRII A COMMVNI ROM. GERM. JVRE DIFFERENTIÆ: NOVA EAQVE LVCVLENTA SERIE DIGESTÆ.

Cùm enim post *Cursum Iuris communis*, per *Lectiones Lynckerianas* exantlatum, STATVTA LVBECENSIA conferre cum *R. G. Iure Auctor* proficuum sibi existimaret: suasu *Ductoris sui*, commentatorem præcipuum in ea, MEVIVM, peragravit, eumque & unà ipsa *Iura Lubecensia*, quà *differrent* à communibus, aptissimè LIBRIS DVOBVS, quorum VNO *Ius* PRIVATVM, *tribus Partibus* in *Personis*, *Rebus* & *Iudiciis*; ALTERO *Ius* PVBLICVM, ita disposuit, ut perpetui *Indicis*, ejusque *realis*, instar deservire possit, non modò *principiorum* istius juris particularis, ejusq; *differentiarum*, & quæ hinc procedunt *quæstionum*; verùm etiam pro *Loculis* haberi queat, eò redigendi, quicquid *usus Fori* ulte-

rior ſuppeditaverit. Quin & hanc diſpoſitionem *Collationi* quorumlibet *Statutorum* adhibere licet. GIESSÆ CIↃ IↃC LXXII. 4.

LXV.

DISS. DE PERICVLO ET COMMODO REI VENDITÆ.

Quæ totum hunc articulum, luculentâ *dispoſitione*, per ſolida *fundamenta* & *Uſum forenſem*, in omnibus *partibus*, excutit.

LXVI.

DISQVISITIO: QVO TENDANT STVDIA JVRIS:

Quam inſtituit

FRIDERICVS THEODORVS KLAMPRING, VCHTA VVESTPHALVS.

In illâ *Juſtitiæ*, & ex oppoſito, *injuſtitiæ* ratio, per abrupta *Diſceptationum*, in limine Jurisprudentiæ noſtræ, abſolvitur. JENAE CIↃ IↃC LXXVIII. 4.

LXVII.

LXVII.

DISPVT. INAVGVRAL. DE VI LEGIS IN PRÆTERITVM: CHRISTIANI HIERONYMI MüHLPFORT, JENENSIS.

Occasione *L. 7. d. Legibus.* exhibet, utilissimâ doctrinâ, *Regulam* & *rationem* ejus, cum *obstantium* resolutione. Tum & *Ampliationes* Regulæ. Quænam sint *Præterita.* Cum *exemplis* ex titulis Juris *Civilis*, *Canon.* & *Feudalis. Inspecie* de negotiis, quæ *sub conditione* pendent: ùt & de *Processuum* Ordinationibus. Porrò de *Restrictionibus*; & quid de *Causis* adhuc *pendentibus.* De Legibus item *declaratoriis*, *annullantibus*, *confirmatoriis*; deniqve de actibus *successivis.* Erudita Tractatio. JENÆ, CIↃ IↃC LXXXI.

LXVIII.

DISS. DE JVDICIO STATVS, CHRISTOPHORI LAVBINGERI, VICENHVSA HASSI.

Hoc est, de Actionibus *Præjudicialibus*, ex *Statu* triplici; & quidem primùm LIBERTATIS, ubi &

de *hominibus propriis*, item *VVildfangiis*, *Colonis*, *Censitis*: & de *Usu Jurium Romanorum*, quæ de *Servis* habemus. Sic & ratione *Ingenuitatis*; & quoad *Patronos*. Porrò de Judicio Statûs, adversus CIVEM, rat. *Contributionum* & *Operarum*; velut *militarium*: & contrà *Magistratum*, ut frui nos sinat Juribus *Civium*; & quænam illa sint. Denique rat. FAMILIÆ, & actione pro *partu* Matri competente, & Partui pro *alimentis*. De tempore item & modô alimentorum atq; *dotis*. De *Filiatione* adv. Patrem Matremve; & vicissim adv. Filium sibi assertum: nec non de *Effectibus* hujus Judicii. De *Fraternitate*, & effectu *Alimentorum*, ùt & *Dotis*; item de *Competentiâ*. De *Cognatione*. Ad extremum de *Judicio*, pro MARITALI & VXORIO *jure*, competente: & de utriusque *effectibus*; tum & de aliis, si quæ pro *Sponso*, *Primogenito*, *Tutore*, *Seniore*, &c. actiones competunt. Tractatio diligens & maximè utilis. JENÆ CIↃ IↃC XCI. 4.

LXIX.

LEX RHODIA DE JACTV.

JO. DIETERICI KETTLER,
NORDA OSTFRISII.

Synoptica Tractatio, quæ *proportionem* CONTRIBVTIONIS dilucidè exhibet. JENÆ CIↃ IↃC LXXIX. 4.

LXX.

LXX.

DISSERT. DE PACTIS,

JO. HENRICVS BERGER, GERA VARISCVS, defendit.

In eâ, quicquid est difficile ac *impeditum* in eô Conventionum præcipuô genere, excussum habetur. JENAE CIↃ IↃC LXXIX. 4.

LXXI.

DISS. DE REPRÆSENTATIONE PECVNIARIA.

JO. SIGISMVNDI GROSGEBAVERI, SALZVNGENSIS.

Repræsentare hîc idem esse, ac in antecessum dare. Quâ ratione *Debita pura* possint *statim* peti. *Legatum annuum* cœptô annô deberi. Quandoque debitum *ante diem exigi*, vel *cautionem* peti posse? & quibus casibus in negotio *str. juris*; *Fiscum* exigere posse *ante diem*, & vel *à debitore debitoris*; relictô tamen *interusuriô*. Per existentiam *conditionis* non collocari *in morâ* debitorem conditionalem. Debita *indefinita*, seu debitoris arbitrio commissa, an exigi *à superstite adhuc* possint. Quando *conductor mercedem* solvere teneatur: quando solvenda *merces operæ*? item *salarium*. Quando possit peti *declara-*

claratio juris nostri in re, velut fideicommissi? quando *juris ad rem*? & an etiam obligationis *conditionalis*? An ex illâ *agi* possit ad *condemnationem*. *Creditori* etiam *invito* repræsentationem fieri; atque hoc per *regulam*: secùs ac *Cujacius*. De *mandatario* ante diem *solvente*. An debitum *usurarium* repræsentari queat. Quibus casibus non possit *invito creditori* repræsentari. An in *alternativis*: in Canone *Emphyteutico*: ex *pacto posse*, quod etiam *singulari successori creditoris* proficiat: item *debitoris heredi*; sed non ejus *successori singulari*. Pacto *denunciationis* non excludi repræsentationem. Quandoque posse creditorem exigere creditum, licèt non denunciaverit. Quandonam possit *acceptationem* recusare, non præviâ denuntiatione. De *oblatione verbali*. Pactum *de non repræsentando* etiam in contractu cum *usuris* valere. Quid si cum usuris futuris offerat debitor. An in *deposito* valeat: in emtione *annorum redituum*, ut redemtio non fiat. *Uni* creditori *volenti* an possit fieri repræsentatio. Quid de re *individuâ*. Non esse pactum de non repræsentandô, pactum *de non solvendo ante diem*; non, *priusquam petierit* Creditor. Ratione *solutionis* quando non possit fierit repræsentatio *invito*: velut instante periculô monetæ. Respectu *tertii* non posse, v. c. maritum dotem, in fraudem

cre-

creditorum. *Creditori posteriori. Fideicommissario* ante mortem. An *adjecto? Procuratori.* Repræsentari *Libertatem, Dotem, Fideicommissum.* Ex *constituto. Vsuras*: & *Anticipatio* quid à Repræsentatione differat? Liberare repræsentationem *ab usuris.* An *condici* solutum possit? Quid si debitum fuisset *in diem incertum.* Creditor repræsentantem repellens *periculum* sustinet. *Tardiùs* solvens debitor. Quid si debitor plurium terminorum *in uno* sit *morosus*, an ad omnes simul adstringitur? Probè disposita, eaque erudita & utilis tractatio. JENÆ CIↃ IↃC XCIV. fol.

LXXII.

DISS. DE VINCVLO FAMILIÆ: CHRISTIANI FRIDERICI BEERBALCK, SANDERSLEBIA ANHALTINI:

HÎc de nomine *Familiæ*, ad quos pertineat. Tum de *Vinculo* Familiæ inter *Parentes* & *Liberos*, quoad JVS PERSONARVM: per *Nuptias*; ubi de *Legitimitate* Partûs: de *alendis* liberis, etiam *naturalibus*: de *educandis*, ad opificia, &c. *elocandis*; ubi de Parentibus duris, item Liberis immorigeris. De *Tutorum* con-

 stitu-

ſtitutionibus. Deinde de Vinculo Familiæ quoad JVS IN RE; ubi de *Donatione* Parentum: de *Præſcriptione* rerum adventitiarum: *acquiſitione* per Liberos: *teſtamentis* Parentum & Liberorum: Suitate: Jure *Collationis*. Quoad JVS AD REM: in *mutuo* filiifamiliàs, *Stipulationibus* Patri factis, *Retractu* Filiorum, *Operis* eorum locatis. *Societatis* & *Mandati* extinctione. *Negotio* liberorum, in alendo illos. *Tutelâ* eorum. *Furtô* in familiâ. *Injuriis*. *Receptione conjunctorum* delinquentium. *Pœnæ* derivatione in liberos. *Inceſtu*. Lenociniô, Infanticidio. *Raptu* filiæfamiliàs. Deniqve ratione ACTIONVM, de Patre ſeu Filio *Judice*. *Procuratore*. *Actionibus famoſis*; *Statûs*. De *in Jus vocatione*. *Cautionibus*. *Juramento calumniæ*. Executione cum beneficio *Competentiæ*. *Vindictâ* necis. *Torturâ* Parentum & Liberorum. *Dilatione pœnæ* corporalis in favorem fœtûs. Tractatio ampla, diligens & practica. JENAE CIↃ IↃC XCI. 4.

LXXIII.

LXXIII.

DISS. INAVGVR. DE CAVTIONE FRVCTVARIA.

JO. LEONHARDI RADEFELD,
GRONOVIO VVETTERAV.

Quomodo præſtari in *utrôque Uſufructu* debeat: quid cavendum ſit: & quinam à cautione *immunes* habeantur, ſatis idoneè agit.

JENÆ, CIↃ IↃC LXXXIX. 4.

LXXIV.

DISS. DE ABSOLVTORIA.

JO. GEORGII GLÆZEL,
RATISBONENSIS.

Quâ rat. *Judicia omnia* ſint *abſolutoria.* Quando non abſolvatur Reus, *Actore non probante. Reo non probante*, non ſtatim eum condemnari: nec protinùs abſolvi illum, qui appellationem juſtificaverit. Et an *confeſſus* queat abſolvi? Quandonam *intereſſe* poſſit offerre reus. De *poſſeſſore Pignoris.* De *cautione* in actione de eo quod *certo loco.* Si deficiat jus actoris *pendente lite. Innocentis condemnationem* nil proficere reo ad abſolvendum. Non probatâ *qualitate delicti* reum abſolvi. De abſolutione *ex falsâ causâ.* Si *diſſideant* Judices. Si *unius Inſtantiæ Iudex* abſolvat, alterius condemnet, an fidejuſor judicatum ſolvi teneatur? *Pro actore & reo*

ſimul poſſe ferri ſententiam. *Spoliatorem* abſolvi, quando actor ſimul intentans posſesſorium ſuccubuerit. *Fidejuſoris* abſolutoriam non prodeſſe debitori; at vicisſim. *Plures* ſi condemnati fuerint, quemlibet eorum cenſeri abſolutum eſſe à præſtatione ſolidi. *Magiſtro navis* non prodesſe abſolutoriam exercitoris. *Tortus & negans* an definitivè abſolvendus ſit. De *convicto*, poſteà torto & negante. De *confitente*, ſed *cum qualitate*. De *nominatione ſocii*. De mitiori ſocii pœnâ. De *provocato*. De abſolutione *banniti*, invitô læsô. De abſolutione *adv. confesſionem judicialem*. Expreſſa condemnatio quâ ratione non inducat *tacitam abſolutoriam*, quoad ſeparata capitula. De abſolutione *à reſiduo*. De abſolutione & *condemnatione in eodem delicto*. Ab *expenſis* an abſolvendus ſit, qui per *ſuppletorium* abſolutus eſt. Quandonam victus abſolvatur *ab expenſis*. Quatenùs is, qui *ab actione* deſiſtit. De *expenſis* Inſtantiæ *Appellationis*. An expenſæ peti queant *poſt ſententiam*. Quando quis abſolvatur *ab inſtantia* vel obſervatione Judicii; quando *ab actione*, & quando, ut non teneatur *reſpondere*. Abſolutionem fieri aliquando, nullâ *citatione* nec *litis conteſtatione* præviâ. Abſolutoriam facere, ut *præſcriptio* non interrumpatur. Abſolutus *in petitoriô* an posſit repellere agentem posſesſoriô; & *viceversâ*. *Pignus*

tolli

tolli per abſolutoriam in principali, non per hujus præſcriptionem. Abſolutus *à civili* actione an posſit conveniri criminaliter. *Poſt torturam* abſolutus an *infamis* ſit. Effectus abſolutionis *à banno*. Favorem *iniquæ abſolutionis* conſiſtere in *retinendo*. Si quis abſolutus fuerit in criminalibus, quænam tunc indicia ad *novam inquiſitionem* faciant. An is *ſocio redeunte* reus denuò fieri posſit. Solida & utilis tractatio. JENÆ CIↃ IↃC XCV. 4.

LXXV.

DISS. DE PRÆSENTATIONE SVI IPSIVS.

SALOMONIS FRIDERICI FISCHERS, SCHNEEBERGA MISNICI.

Præfatur de *Philavtiâ*. Tum de *Titulorum* uſurpatione, agitur. Ex J. PRIVATO, de exhibitione ſui in *ſervum*, ad manumittendum *in civem*, ad *emancipandum*, *veniam ætatis* obtinendam, in *ſponſam*, *filium*, *patrem*, *adoptandum*, *tutorem*: in *dominum*. In contractum per *tractatum*, in offerendô ſe ad *contractum*, ingerendô ſe in *negotia*. Denique in *Proceſſu* quænam occurrat præſentatio. Poſthæc

ex IVRE PVBLICO, de eo, qui se in *Imperatorem*, *Statum*, *Officialem*, ad *Nobilitandum*, Gradum *Doctoratûs*, ùt & in *Magistratum* offert Subjectâ *Disquisitione*, an quis *in pœnam*, an *adv. pœnam*, Reipublicæ commodis se offerre possit? Deniqve an in *Feudi* Dominum: & in *Canonicis*, an ad *Beneficia Ecclesiastica*, nec non ad *Stipendia*, *se* quis offerre *suosque* possit. JENÆ, CIↃ IↃC LXXXIX. 4.

LXXVI.

DISS. INAVGVR. DE ANARGYRIA.

ELIÆ WACHSMVTHS, SCHMIDEBERGA SAXO-MISNICI.

Vbi, præmissâ de *Argentariis* & *Campsoribus* doctrinâ, ad *originem Exceptionis N. N. Pec.* procedit, & ad *Obligationis Literariæ* naturam; tum & *probationem numerationis* & *pœnam* falsò eam *negantis*. Quando locum habeat vel secùs *N. N. Pec. Exceptio.* Utilis Dissertatio & maximè practica. IENAE, CIↃ IↃC XCII. 4.

LXXVII.

LXXVII.

DISS. DE COMPROMISSIS.

RESP.

CHRISTOPHORO HENRICO WESTORP,

MINDANO.

In quâ, doctrina *Arbitrorum*, & cumprimis *ex Compromisso*, per *causarum* semitas, *qui* scilicet, *in quos* & *de quibus*, item *quomodo*, compromittere queant: cum *effectibus*, plenè & exactè traditur. IENAE, CIↃ IↃC LXXXVI. 4.

LXXVIII.

DISS. INAVGVRAL. DE EO QVOD JVSTVM EST CIRCA SILENTIVM:

CHRISTIANI GOTTFRIEDI SCHRAMMII,

BVDISSINA LVSATI.

Quid *silentium* & *quotuplex* sit? Silentium *à Principe* aut *Magistratu*, à *Lege*, in *Processu*, à *Privatis*, injunctum. *Sortis* silentium. *Quinam* & *quæ* sileant. Ex quibus *causis* & *ubi* silere oporteat? Quorundam *diuturna* silentia. *Obligatio* ad silendum; qualis *Medicorum*, *Amicorum*, *Domesticorum*, *Uxoris*, *Famulitii*, *Libero-*

berorum. (Variæ eruditionis.) Reliqua aliò distulit. JENAE CIↃ IↃC XCIII. 4.

LXXIIX.

DISS. DE FAMILIARVM NOBILIVM SPLENDORE:

HENRICI PHILIPPI A GROTTHAVS DE LEDENBVRG, EQVITIS OSNABRVG. VVESTPHALI.

Illum *sanguine* conciliari, paternô & maternô. De *Bastardis*, & de *Barrâ* Insignium. De *Legitimatis*. *Adoptione* eum non conferri. Illustriorem reddi *virtute*; eâque *Literariâ* & *Armatâ*. De *Equestri ordine*. De *Privilegiis generalibus*, nec non de *immunitate prædiorum Nobilium*, ab oneribus patrimonialibus: de immunitate *personali*. De Præsumptione *fidei* in *assertionibus*, ùt & *testimoniis* ferendis: quæ tamen à *Juramento* non sublevet. De Præsumptione *Fidelitatis*. De *Honoribus* & *Reverentiâ* Nobilibus exhibendâ. De *Pœnarum* temperamentô. De *Divitiis Nobilit.* munientibus, ùt & de *Pactis* pro *conservandis* Familiis; ubi & de

Re-

Renunciativis. De *Unione* P*rolium*, de *Confraternitate*, *Ganerbinatu* & P*rimogenitur*â. JENÆ, CIↃ IↃC LXXXIX. 4.

LXXX.

DISS. DE JVRAMENTO MANDATARII IN ANIMAM PRINCIPALIS,

JO. HENRICI JACOBI, E VVESTPHALIS SVSATENSIS.

Quibus id *Juribus* permisſum ſit. An mandari queat *Fœminæ*, *Clerico*, *Judæo*, *Infami*: an in causâ *Feudi*, *Matrimonii*, *Statûs*, *Criminis*, *Electionis*: & quô *Mandatô*? an *cum liberâ*, per *chartam biancam*; quâ *formula*, quô *fine*? in *mutis*, *ſenibus*, *illuſtribus*; & quô effectu *Juris Naturalis*, *Civilis* & *Canonici*, etiam ex parte *Mandatarii*. *Impediri* illud *Statutô*, neceſſitate præſentiæ *Principalis*. *Subſtitutum* quoque excludi. Additâ de Juramentô *Univerſitatis*, & in cauſis *pupillorum*, doctrinâ.

LXXXI.

DISS. DE AFFECTIONE,

JO. ALEXANDRI SCHEGK, ROTENBVRGO FRANCI.

Ex Jure PERSONARVM, quoad *Sexum*, *Ætatem*, *Statum*. Ex Juribus item RERVM, ùt & PROCESSV: quinam *favores juris* quemlibet in his respiciant. Hoc enim, singulos peragrandô *articulos*, ostendit. IENAE CIↃ IↃC XC. 4.

LXXXII.

DISS. INAVGVRAL. DE PARTV SVPPOSITO.

PETRI JOHANNIS OEHNSEN, GVELPHERBTTANI.

Hæc præcipuè disceptationes *Jcc. Veterum* adducit, etiam in Articulis *affinibus* Romani Juris, puta in Edicto *Carbonianô*, & quæ de *Ventre custodiendô*, ùt & de *agnoscendis liberis*, olim disputata fuêre. JENÆ, CIↃ IↃC XC. 4.

LXXXIII.

DISS. DE TRANSACTIONIBVS.

Asseruit eam

PAVLVS HENRICH TILEMANN, FRANCO HVSANVS.

(Adjectis à se in fine *Epiblematis*:)

Hîc

Hîc *singularia Transactionum* pleraque illustrantur, curatâ, maximè ad *Fori Usum*, doctrinâ. *JENÆ, CIↃ IↃC LXXIX. 4.*

LXXXIV.

DISS. INAVGVRAL. DE COMMENDATIONE SPECIALI,

CHRISTIANI SCHMID,

LEVCOPETRAEI.

A*ffinibus* remotis, *distinctionem* ejus exponit. *Qui* item possint commendare, *ad quos, quòusque*, in quem *finem*. De *effectu* Commendationis ad *officia*, ad *mutuandum*, &c. De *honorario* commendantis, & *obligatione* acceptatæ commendationis. De *Mandati* aut *Neg. Gest.* actione. De Beneficio *ordinis*, *divisionis*, *cedendarum actionum*. De *renunciatione*, & Lapsu *temporis*. De commendatione *ad delinquendum*, in genere & in specie; & de *Excessu commendati*: deniqve de *revocatione* Commendationis. Plena & fructuosa Tractatio. JENÆ CIↃ IↃC XCIII.

LXXXV.

JVRA SECVNDI,

PER

DISS. INAVGVR. M. NICOLAI EINERT,

COBVRGO FRANCI.

In *Legibus*, Re*scriptis*, *Genitis*, *Sponsalibus*, *Nuptiis*, *Tutelis*, *Domino*, *Possessore*, *Herede*, *Emptore*, *Creditore*, *Licitatore*, *Crimine*, *Actione*, *Juramento*, *Testimoniô*, *Arrestô*, *Instantiâ*. Practica recensio. JENÆ, CIↃ IↃC LXXXIV. 4.

LXXXVI.

DISPVT. DE RECEPTIS:

Quam vindicavit

JO. SAMVEL BRVNNER,

HALA SAXO.

(Junctis à semet *Corollariis*.)

Ibi, quæ ad Receptionem *Nautarum*, *Caupo*-*num*, *Stabulariorum* pertinent, difficilia, ad *Scholæ* & *Fori* usum, expediuntur JENÆ, CIↃ IↃC LXXIX. 4.

Ubi

LXXXVII.

DISS. DE EO QVOD INTEREST:

HENRICI CHRISTIANI SCHLEICHER,
GLAVCHA MISNICI.

Vbi SECT. I. de *Nomine*, quid & quotuplex illud ſit. De Intereſſe *propinquô* & *remotô*. De remoto *Obligationis* ad id quod intereſt *principiô*; & de *propinquô*, ſeu injuriâ. SECTIO II. de Effectu ſ. *Actione*, ejus formâ & formulâ: de *probatione* ejus quod intereſt; & de *Contrariis* exceptionibus SECT. III. de *Adjudicatione* ejus quod intereſt; in cauſis certis & incertis. De *Simplo*. De *Taxatione* & genuinô ſenſu *L. un. Cod. de Sent. quæ pro eo quod intereſt profer.* Proba & utilis Tractatio. JENÆ CIↃ IↃC XCI. 4.

LXXXIIX.

DISS. DE JVRIBVS AC PRIVILEGIIS MINORVM,

GEORGII NICOLAI APPOLD,
ONOLDINI.

Ex *Naturæ* & *PVBLICO jure*. Ubi de Ma-

turitate ad *Principatum* & *Officia*, ad *Electoratum*; & de *Tutela Electorali*. Ex PRIVATO, de *Curatela*, Matrimoniô, *Arrogatione*, *Venia ætatis*. De acquisitione *Hæreditatis* & *Legatorum*. De *Præscriptionibus* adv. Minores. De *Alienatione* eorundem, in specie per *Donationem*, *Divisionem*, *Testamenti* factionem, *Cessionem bonorum*. De *Obligatione* illorum per Contractus varios. De *juramentô*: *Solutione*: Pœnis *Delictorum*: Facultate standi in *judiciô*: Citatione, &c. Remediis adv. *sententias*. Denique de minore *judice*, item *Procuratore*. Utilis & idonea Tractatio. JENAE, CIↃ IↃC XCIII. 4.

LXXXIX.

DISS. DE LAVDI VITIIS,

BALTHASAR STEVDNER, AVGVSTA VINDELICVS, defendit:

Hîc Modos habes, quibus & *ex se* nullum est Laudum, & ex quibus *personis*, *Arbitrorum* aut *Partium*, infirmatur: ad *Fori* Usum.

Præ-

Præcipuè verò quid de *Reductione* ſentiendum ſit. JENÆ CIↃ IↃC LXXIX. 4.

XC.

DISS. DE POTESTATE MATRIS IN LIBEROS, FRIDERICI JACOBI FABARII:

Eſſe illam ex *Naturæ Jure*; proximè quidem ex *generatione* & *educatione*. Quatenùs fœtus *à* Matre ſit. *Hobbeſium* malè imperium ſoli matri adſcribere; patri non niſi derivativum. Non obſtare, quòd *naturalis* filius matrem ſequatur: nam inde poteſtatem civilem nullam eſſe, niſi *analogicam*: ubi & de *dominô ancillæ* præ domino ſervi. *Patrem* præferri: eô mortuô matrem ſolam fore. Quam poteſtatem *mater adoptans* in adoptatum habeat? & quid ſi adoptet *cum marito* ſuo. Quomodo mater *Tutorem* det. Conſenſum in *Nuptiis* quomodo naturales adhibere teneantur? item *filiæ* legitimæ, non exiſtente patre. *Caſtigare* poſſe matrem liberos: quin & *vendi* eos à matre poſſe.

XCI.

XCI.

DISS. INAVGVRAL. DE JVRE DENVNCIATIONIS.

JO. LAVRENTII SORGE, GOTANI.

Quod argumentum diligenter per *causas*, ex instructione *Lynckerianâ*, tractavit. *Nomen* verò ante omnia expendit. Vbi & de *Denunciatione Evangelicâ*. Sed hîc de eâ agi, quæ *evictionem* imminentem, & ob hanc *regressum* respicit. An in notoriâ venditoris injustitiâ sit adhibenda? Eâ non opus esse, si ex retractu res evincatur: non si ex naturâ suâ evictioni sit subjecta. *Principem* quoque emptorem denunciare. Sed non teneri denunciare fidejussorem, à Creditore conventum. Non posse, qui sciens rem alienam emit, aut restitutioni subjectam. An saltim tunc repetere possit emptor pretium? *Absenti* quoque esse denunciandum, & an præsenti in judicio? An ei, qui de evictione præstandâ juraverit. Quid si plures sint emptores. An & hereditati? Non denunciari Fidejussori auctoris. Fieri illam in *Mandato*, Pignore, Permutatione; in Concursu, Divisione hereditatis; in Datione in solutum, Dotis, itemq; Transactionis causâ datis. In Feudo. Sed non in Servitute reali. Et quandonam in Donatione? *Judicialiter* illam fieri de-

debere, opportunè, & vel in ſecundâ inſtantiâ. Manere in judiciô denunciantem: & num *appellare* poſſit denunciatus? Venditorem deinde coram ſuô judice conveniri. De expenſis litis. De *Contrariis & Affinibus*; ùt eſt Nominatio Auctoris, in actione reali vel in rem ſcriptâ: item Denunciatio, quæ in diſtractionibus ſubinde fieri debet; uti rerum retractui obnoxiarum: in meliorationibus Emphyteutici, Feudalis prædii; ùt & in Pignoris diſtractione. GIESSÆ, CIↃ IↃC LXIX. 4.

XCII.

DISS. INAVGVRAL. DE CAVTIONE VSVFRVCTVARIA.

JO. CHRISTOPHORI HARTVNG,
MARLISHVSENSIS.

Iſtam & *divitem* præſtare teneri. Quandoq; *Patrem* non minùs. Matrẽ ſemper; licèt eam ab illâ immunẽ eſſe Pater voluerit: etiã *Dovariam*. Sed non *Maritum* ex Statuto Uſufructuarium. *Fiſcũ* tamen. Eſſe quoad res, quæ *conſumuntur* propediem, de *æſtimatione* cavendum; de cæteris quoad *ſubſtantiam*, quæ modicè atteruntur. *Juratoria cautio* quando locum habeat? Præſtitâ cautione non tamen poſſe *propria auctorita-*

te rem *apprehendi*, præterquam ſi heres in uſufructu eſſet inſtitutus. Deniqve *remitti* cautionem tacitè quoque poſſe à proprietario. IENÆ, CIↃ IↃC LXXXI. 4.

XCIII.

DISP. DE FIDEICOMMISSIS VNIVERSALIBVS,

CHRISTIANI HIERONYMI MüHLPFORT, JENENSIS.

N*atales* Fideicommiſſorum antiquisſimos; ſed efficaciam eorum deberi Auguſto. Dari quoque Fideicommiſſum *conventionale*. Quid differant Univerſalia *à ſingularibus*. Fideicommiſſum partis bonorum, eſſe particulare. Sic & omnium mobilium: nominum. Dari etiam *tacitum*; adv. *A. Fabrum*. Tale non minùs eſſe, de non alienandô extrà familiam. *Enunciativis* verbis Fideicommiſſum non induci; & quibusnam? *Capite damnatos* hodiè poſſe fideicommittere. Gravari fideicommiſsó eum poſſe, qui pecuniarii quid habet à Teſtatore. Filium in Legitimâ inſtitutum non poſſe. Non poſſe id relinqui, niſi *capacibus*: & quis relictum incapaci vindicet? Fiſcum, ſi clam fuerit incapaci, & extraneo quidem, relictum; ſi neceſſarius heres extet, ſecùs eſſe. Filiis relictum Fidei-

com-

commiſſum, non cenſeri rel. nepotibus. Relinqui etiam poſſe incertis perſonis. Poſſe quoque *Contractu* conſtitui. Ante *diem certum* ſi moriatur Fideicommiſſarius, transmittere eum fideicommiſſum. De die mortis. De conditione negativâ. De conditione *ſi ſinè liberis*. Non contineri h.c. liberos in inſtitutione. De tacitâ ſi ſine liberis conditione, in aſcendentium teſtamento; ùt ſi heres poſt mortem ſuam rogatus ſit reſtituere. Non ſubeſſe eam aliorum voluntatibus, de reſtituendo poſt mortem. Quando cenſeatur extitiſſe illa conditio, & quando ſecùs. De *Cautione* Fideicommiſſariâ. De coactione ad adeundam hereditatem. Quid ſi creditor à debitore ſuo inſtitutus, & fideicommiſſo gravatus ſit. De *Remediis* fideicommiſſario poſt aditionem competentibus; & quidem poſſeſſoriis: ubi de probatione Fideicommiſſi. De petitoriis item, perſonalibus & realibus. De *Forô* domicilii & Contractûs. De *Reſtitutione*, & quinam reſtituere queant. De Prælegatis. De Feudo. Sepulchro. Fructibus. De culpâ præſtandâ. De effectu reſtitutionis. De *Trebellianicâ*. Filius an duas Quartas deducat. Quænam in Trebellianicam veniant. Quibus caſibus illa non detrahatur. Poſſe eam tacitè quoque *prohiberi*. De Fideicommiſſi *revocatione*; item repudiatione. Quando ei renun-

ciatum censeatur; id non fieri per divisionem. Et de præscriptione. Luculenta, methodica & fructuosa tractatio, per *veteres* & *recentes Dd.* roborata. JENÆ, CIↃ IↃC XXC. 4.

XCIV.

DISS. DE INDIVIDVITATE,

AVGVSTI HOFMANNI, HALA-SAXONIS.

Præmissis *generalibus* è *Philosophorum* scitis: ex PERSONARVM Jure, *Libertatem*, *Civitatem* & *Familiam*, & in hâc *sui* vel *alieni* Juris Homines; (ibi etiam eos qui sub *Tutela* sunt,) ad *Individuitatem* expendit. Ex RERVM verò Jure de *Servitutum*, *Pignorum*, *Hæreditatis*, tum & *Contractuum* Individuitate, doctè & utiliter ad *Fori* usum disputat. JENAE, CIↃ IↃC LXXXIV. 4.

XCV.

JVRA PRÆMIORVM.

DISS. BERNHARDI WILHELMI AB OPPEL.

Vbi de *Præmiis* ex Jure NATVRALI & GENTIVM. Quòusqve *Virtus* sibi ipsa Præmium sit. De *Nobilitate morali* seu Virtutis. De *Gloria*, *Laude*, *Honore*, *Claritate no-*

mi-

minis, *Immortalitate*, Mentis *gaudiô*. Et quæ *Gentilium Virtutes* ſibi præmia depoſcant. Ex CIVILI Jure procedere *Privilegia* & *Immunitates*; ob Virtutem *Militarem* & *Civilem*. Eò *vacatio* à *Muneribus*, *Vectigalibus*, *Tributis*: item *Præda*, *Dignitates Honorariæ*, *Annuli*, *Imagines*, *Libertas*, *Pœnæ gratia*, referuntur. Plura eorum *ad Poſteros* transmitti. Et an aliqua pro Præmio competat *Actio*. Ex Jure FEVDALI *Militum* initiò Præmia ſ. Beneficia; dehinc etiam Virtutum *Civilium*: eò non minùs *Expectantias* impendi. In CANONICO Iure occurrere *Dignitates Clericales*, *Præbendas*, *Coadjutorias*: ipſam quoque *Canonizationem*. Ex Iure tandem PVBLICO *Dignitates*, poſt *Imperatoriam*, *Regiamque*, Axioma *Electorale*, tum & *Regale*, *Ducum*, *Principum*, *Comitum*, *Baronum*, *Equitum*; *Nobilitatem* totam *Civilem*; de quâ pleniùs, ùt *antiqua* & *nova* eſt, agitur: & an prior illa Præmii nomen *quoad poſteros* ſuſtinere queat. De *Inſigniis*, ùt

& *Gradibus Academicis*: Erudita Tractatio, Modis Præmiorum duraturis, per *Statuas* & *Cognomina*, obsignata IENAE, CIↃ IↃC XCI. 4.

XCVI.

DISS. EXHIBENS JVRA MINERARVM: JOH. WOLFFGANGI HÖFLICH, BARVTINI.

Lapides, *Metalla*, (quorum jure *Carbones* quoque *fossiles* censentur,) & *Mineras* ex terris erui. Mineras antehac *privatis* relictas, deinde *Canonem* exactum esse. Tandem *Fisco* assertas. Rursus tributas Electoribus, Principibus, &c. cum *Regalibus*. In *specie Salinas*, non quæ in propriis *Principum fundis* reperiuntur: nam has *communi Jure* ad Fiscum pertinere; nec solùm quoad *decimam* aut *directionem*, vel juris fodiendi in alieno fundo concessionem. Indeque liberum esse Principi, num illas relinquere velit privatis pro decimâ. Idem in aliis Gentibus *Europæis* obtinere. Tantùm *alumen*, *sulphur* & cæteras *viliores*, non ubiq; esse inter *Regalia*. *Nitri* tamen effossionem speciali indigere concessione: item facultatem indagandi *carbones fossiles*. Concessæ quando mineræ *Vasallo* censeantur? *Tacitè* quoque id videri, per receptionem *Canonis*; item *præscriptione immemoriali* contrà Principem. Non transire eas nomine *Pertinentiarum*. Privatis quæsitas adimi

mi non posse. Plures *Statûs*, & vel ipsos *Electores*, Jus Metallifodinarum & Minerarum jam *ante A.B.* habuisse. Rectiùs dici, omnes *mineras*, & carbones fossiles, vitriolum, & sim. *ad Regalia* regulariter pertinere; ut tamen salva *observantia* maneat, & *jus tertio quæsitum*. Esse enim & *subditos* Regalium capaces, quoad illorum *utilitatem*; ut tamen *inspectionem* semper habeat Princeps. Si Principatus aliquando ad Electorem transeat, ille mineras in eo aliis quæsitas iisdem servet. Non posse Principem de *possessione* aliquem dejicere, quamvis subditum. *Fodere in alienô* licere invitô Dominô: auctoritate Principis, ob utilitatem publicam; sed præferri dominum ipsum *extraneo*. Reparari tamen *damnum* posse debere. Nil solvere *Principem* pro decimâ, quando in privato fodit; ut tamen hoc sinè damno fiat; aliàs Principem domino ad interesse teneri. *Decimam* non præcisè solvi, sed *canonem* aliquem. Nec posse *augeri* canonem, increscente reditu, v. c. salinarum. Si *præscribatur* canon, non esse præscribendas pensiones singulas, sed ut *omnibus* simul unô tempore præscribatur. De *Monopolio* Principum. De *proventibus* metallicis, in *dote*, *feudali*, *conducto*, *usufructuario*, fundo.

JENÆ CIↃ IↃC XCV. 4.

XCVII.

XCVI.

DISS. INAVGVRAL. DE GANERBINATIBVS,

ERHARDI WILHELMI HIMMELII, JENENSIS.

Post *etymologiam* nominis & *homonymiam*, quidque differant à *Confraternitatibus* & *Majoratu*: subjicitur, *quinam* Ganerbinatum Castrorum constituere possint. Indigere id *auctoritate publicâ*, etiam in his, qui *Castra* jam habent; & quandoqve permissione *Comitiali*. Pati teneri *Statum* Ganerbinatûs, salvâ tamen Superioritate territoriali, & ut indemnis servetur. Ganerbinatûs verò *immobilium* aliorum, quàm Castrorũ, *privatos* quoq; inire posse; idq; etiã *Feudalium*: tum & rerum *incorporaliũ*. An *Castra* cujusvis ex *Condominis* sint in solidum? quod *affirmatur*; idemque de *Jurisdictione* asseritur. Non etiam *Seniori* prærogativam deberi, in re *communi*. De *accretione* portionis deficientis Convasalli. De *Forma* Fœderis illius, & *Fine* ejus. *Jurisdictionem* non porrigi in libe-

ros

ros Ganerbiorum. Ad *hæredes* transire Fœdus illud. Quà ratione unus Condominorum ei *renunciare* possit, invitis cæteris. Tandem in fine *Exempla* Ganerbinatuum recensentur & adducitur confirmatio quædam *Friderici Imp.* Ganerbinatûs Nobilium *à Buseck*, de anno 1478. JENÆ, CIↃ IↃC LXXXIX. 4.

XCIIX.

DISS. INAVGVRAL. DE ACCESSIONE FLUVIALI,

GEORGII SAVERESSIG, NVMBVRGENSIS.

Fisco in illâ nil esse Juris. Sed *Vasallo* relinqui eam debere. De *viâ concedendâ* super fundo suo ad Accessionem illam, & de *Jurisdictione* in eâ: quam utramqve sibi *Fiscus* asseruerat. *Casus* per rationes dubitandi & decidendi resolutus. JENÆ CIↃ IↃC LXXXIX.

XCIX.

DISS. INAVGVRALIS DE JVRE COMMISSORVM,

PETRI JVRGES BVSKAGRII, SVECI.

Tàm ex causâ *Vectigalis*, quàm *aliorum*, plenissima per *Causas* tractatio; in quâ & ipse *Tramites Lynckerianos*, quos privatô studiô triverat, secutus est. Dici quoque *Commissum* in Stipulatione, Emtione, Delictis. Esse æquum, & lege induci posse, v. c. in profitendô *Censu*; neque tamen in hôc Justinianeô jure probari. Quid si rem citiùs quis professus sit? Non cadere *Emphyteusin* in Commissum ob non solutum laudemium, sed bene ob non sol. canonem, vel alienationem sinè consensu Domini; qui tamen non possit expellere Emphyteutam privatâ auctoritate. Sic & in Feudis. Idemque obtinere in abnegatione horum jurium. Nec non in *Feudo* Censuali, si census in recognitionem dominô detur. Cadere in Commissum rem nostram, quam *vi* eripimus alii. Ex illicitis quibusdam *alienationibus*: mercibus exportari prohibitis. Alia commissa non fieri in *rebus ipsis*, circà quas delinquitur; ùt in crimine Majestatis. Non fieri commissum ex magiâ, non etiam nunc ex aliis criminibus; ne quidem ex incestu. Bona etiam vacantia huc non pertinere; sed tamen commissum rei pignoratæ, & thesauri arte prohibitâ inventi, aut inventæ rei alterius, cujus dominus ignoratur. Cæterùm requiri *dolum*. Talem non esse protinùs, si

quis

quis vitiosè indixerit: non etiam, quando quis professus est, sed vectigal non solvit. Quid si alius solverit. Absente publicano deponendum esse. De *mercibus prohibitis*. Si falsis literis commeatûs quis utatur. De stapulâ. Pedagiô. In hôc arbitrariam pœnam obtinere. *Immunes* res naturâ tales non esse profitendas; secùs si tales sint ex personâ. Non induci commissum, ob non solutum injustum vectigal. Quò usque valeat Illustrium immunitas. Consiliariorum, Principum, præter Electores, Nobilium immediatorum, Studiosorum. Pecuniam immunem esse; sed non res ad victum paratas, moribus. Respiciendas tabulas teloniorum. Ad *regalia* pertinere Commissum, & ad eum qui Vectigal conduxerit; ubi de publicanis. An ad hos augmentum vectigalis spectet. *Heredem* in Emphyteusi non agere ad Commissum. Et quid de Feudo. *Actionem* posse dirigi adv. quemlibet possessorem; etiam adv. heredes. An bona his auferri possint, non professa ab antecessore ad censum. Quid rursus de Feudo. Socio proficere immunitatem in individuis. *Aurigæ* culpam officere Domino. Quid de Conjugibus. De Assecuratore. Unô heredum emphyteutæ. Tutore. Prælatô. Fœmina. Milite. Rusticô. *Extinctâ re* ad pretium agi non posse. Rem *alienam*

non cadere in commissum. Ex *pluries* defraudatô vectigali rem non nisi semel in Commissum cadere. Non semper accessiones unà committi. Non etiam vectigal unà cum commisso solvendum esse. *Immunes* res unà confiscari, si merces his sciente Dominô mixtæ non etiam cum vectigali portari potuerint. Etiam ipsam navim periclitari. Sed non etiam rem socii. Si *Magistri culpâ* quis res suas amittat, non habere locum actionem exercitoriam. Partes fodinarum non posse cadere in commissum. Pretium commissi Feudi non posse repeti: & de *Fructibus* Feudi, ùt & prædii Emphyteutici. An *jus hypothecæ* interim in eâ constitutum tollatur. De falsis ponderibus. De domo in quâ moneta falsa fabricata est. De commissis jure Foresti. De nomine contrà *L. Anastasianam* cesso. De pignoratione rerum pro præstatione, ùt & de earum relaxatione. Dolum esse *probandum*; quod & conjecturis fieri possit. Juramentô purgari. De *Forensibus*. De confessione dividendâ. In emphyteusi *declaratione* domini opus esse. Etiam personam posse carcerari. Aliquando corpus quoque committi; ùt in monetâ. In crimine notorio ne quidem declaratione opus esse ad possessionem auferendam. *Vindicationem* dari. Alicubi commissum non obtinere, sed

mul-

mulctam vel coërcitionem fraudatoris. *Publicanos* in duplum teneri ob illicitam exactionem. Fraudationem census alicubi mulctâ etiam coërceri. *Quinquenniô* tolli Commissum. Malam fidem non impedire hanc præscriptionem. Ignorantia & error quatenùs excusent? *Moram* non posse purgari; sed tamen in Emphyteusi. Declarare posse Dominum adhuc lite pendente. Quid si dominus recipiat canones ante triennium debitos. Non posse *tertium*, cujus interfit, pro Emphyteutâ solvere.

GIESSAE, CIↃ DC LXX. 4.

C.

DISS. INAVGVRAL. DE SEMIPLENIS PROBATIONIBVS,

HERMANNI VORTMANN,

HILDESIENSIS.

Dari tales, contrà *Anton. Fabrum;* easqve ex *arbitrio Judicis* pendere. Procedere (1) ex *Scripturâ privatâ*, eâque variâ; velut *Rationibus:* (& an pro *heredibus Administratorum* plenè probent!) *Libris Mercatorum*: (num hi quandoque *plenè?*) *Chrirographis, Apochis, Antapochis, Epistolâ.* (2) ab *unô Teste*; &

quali? quando? Hunc alium esse à *singulari.* (3) *Famâ.* De cujus requisitis. (4) *Fugâ.* (5) *Confessione extrajudiciali,* etiam absente Parte: ubi de obligatoriâ & liberatoriâ; item de *acceptatione;* tum & de eâ, quæ fit *Testamentô.* An locum habeat Semiplena Probatio in causis *arduis civilibus*, & quando? num in *famosis*, *matrimonialibus:* an in *criminali*, *spirituali*, *Feudali* &c. De *effectu* Juramenti *suppletorii,* reo vel actori delati: quid si *unus plenè probaverit.* An super *credulitate* deferri queat: an *ex officio:* an *post conclusionem* in causâ. In *Appellationis* instantiâ? Quâ ratione ob *noviter* reperta *instrumenta* retractetur; idqve per restit. in integrum. Succincta, sed idonea & utilis tractatio. JENÆ CIↃ IↃC XCIII. 4.

CI.

DISS. INAVGVRAL. DE REDVCTIONE AD ARBITRIVM BONI VIRI,

JO. GODOFREDI KLEMMII,
MOENO FRANCOFVRTANI.

Ac-

Accurata tractatio, quæ à *Laudo* præscindit, & solùm Arbitrium *citrà Compromissum*, quæque adversus illud *Remedia* prostent, expendit. *Arbitrium* esse Placitum. *Bonum virum* esse æqvum Patremfamiliàs; maximè verò Iudicem. *Reductionem* esse Relationem causæ ab Arbitri pronunciato, sive alterutrius partium, sive tertii, ad arbitrium Iudicis. De distinctione in *arbitrium liberum* & *regulatum*; sive ad hoc referatur quod jure, sive quod à Magistratu vel Principe conceditur. Si arbiter à Magistratu datus sit, appellari? tum & si Partes ex Lege vel Statuto arbitrum elegerint; non reduci. *Partium* liberâ voluntate arbitrum eligi, vel ad controversias amici componendas, vel ad contractum conciliandum. Ab utroq; dari reductionem. Ab arbitro verò *Compromiss.* non dari appellationem, nec reductionem regulariter; & quando detur? Reductionem esse magis provocationem ad judicium; sicut Reductio à Laudo

spe-

ſpeciem ſecundæ inſtantiæ habet. *Unius* ex gravatis reductionem prodeſſe reliquis. Juratam quoq; *renunciationem* non usquequaq; reductionem impedire. Ap. eum Judicem peti reductionem, qui aliàs fuerit cauſæ *judex* competens. In locis, ubi Reductio à laudo fit apud ſuperiorem, ibi nihilom. non idem fieri in noſtrâ Reductione; quia hæc non habeat inſtar Appellationis. Si ipſe Judex, in arbitratorem electus, gravet, petendum eſſe delegatum ab ejus Superiore, ap. quem fieri queat Reductio. Arbitrator eſſe an quis *cogi* poſſit? Ex abrupto pronunciatum nullum eſſe. Super *reconventione* an decernere poſſit arbiter. Reductionem ab arbitratore intrà 30. annos fieri poſſe; idqve per viam actionis & exceptionis. *Recipi* debere Reductionem, licèt nec dum probatâ iniquitate. Non æquè facilem eſſe *probationem* iniquitatis. Reductionem ſolùm habere effectum *devolutivum*. Poſſe *appellari* à ſententia reductionis, vel reviſionem transmiſſis actis peti JENÆ CIↃ IↃC XCI. 4.

CII.

CII.

DISS. INAVGVRAL. DE AVXILIATORIBVS FVRVM.

CHRISTIANI STERLICK,
REGIOMONT. BORVSS.

Quatenus furtum juvisse *consiliô* vel *opem ferendô*, *ante* & *post* furtum & *in* furto, sufficiat; quòdque furtum *consummatum* requiratur. *Actiones* in id variæ. Et de *coercitione* auxilii illius, ex *recenti* jure. De *Affinibus*, qui scil. *participant* de furto, *emunt* res furtivas, fures *eximunt*, *non impediunt*. Explicati argumenti. JENÆ, CIↃ IↃC LXXXVII. 4.

CIII.

DISS. INAVGVR. DE POTESTATE IMPERATORIS ALIENANDI BONA IMPERII,

GOTTLIEB SIGISMVNDI BAVSSII,
MAGDEB. SAXON.

Alienationem esse variam, in usucapiendo, servitutem acquirendo, hypothecam constituendô, possessionem transferendo. Bona Imperatoris, non privati sed *publici patrimonii*, intelligi. Posse Prin-

pem alienare *in thesi*, qui *Majestatem* plenò jure ſ absolutè poſſidet. Alium non poſſe, niſi ſumma cogat pro univerſo *neceſſitas*. Non igitur poſſe *Imperatorem*. Non obſtante *Lege Regiâ*, quòdque res *ſua* ſit: quòd *mundi Dominus*: quòd *L. L. ſolutus*. An Impp. *Germanici* alienare ſaltim *ante Carolum V.* potuerint? Quòd *negatur*. Expenditur *oppignoratio* Collectarum, Vectigalium, Civitatum. Conſtitutio *novorum Principatuum*. Nil validi hac in re ſuſcipi, ſinè *conſenſu Procerum*. Aliter in rebus *infeudari ſolitis*, ſi apertæ fuerint, *Carolum V.* non voluiſſe reinſeudare, niſi ex co. prægnantibus. Ad conſenſum E E. Illum ſe in hoc non obſtrinxiſſe; ſed demum *Ferdinandum IV. Expectativas* potuiſſe concedere Carolum V., non potuiſſe *Ferdinandum II.* Ante Iſtum ſi conſenſus E E. fuit adhibitus, non fuiſſe hoc neceſſitatis. Imò *Ferdinandum IV.* demum ad conſenſum E E. ſe obſtrinxiſſe. *Ferdinandum II. & III.* ſolùm non potuiſſe alienare *ſinè gravi causâ*. Conſenſum Electorum non unanimem, ſed *majoris partis* deſiderari. Alienationes in *Inſt. Pac.* quomodo factæ ſint, in ſatisfactionem Coronarum exterarum. *Oppignorare* non poſſe Imperatorem ſinè conſenſu Electorum; & ne quidem *olim* id potuiſſe. Ipſum ſe ſolùm obſtrinxiſſe, quòd *non oppignorare*, h. e. quòd

non

non velit requirere consensum Electorum ad hoc, ut oppignoret. Oppignorationes *Inst. Pactis* confirmatas, seu jus pignora retinendi; quamvis *reluibilia* fuissent. Istud non esse *propriè pignus*, & ne quidem *Antichreticum*, quia possessor reditum percipiat jure *dominii*: indeque ille non imputetur in sortem vel usuras; pignore scil. *fiduciario* per mancipationem; attamen *revocabiliter*. Posse repetere Imperatorem à *Papâ* injustè retenta, non impediente Obligatione Cæsareâ de *tuendâ sede Romanâ*. *Carolum IV.* non alienâsse *Regnum Arelatense*, de quô coronatus fuerit in ipsâ Civitate Arelatensi. JENÆ CIↃ IↃC XCV. 4.

CIV.

DISS. INAVGVRAL. DE ACQVISITIONE CONJVGALI, AD PARTEM V. TIT. V. REFORM. FRANCOF..

JO. ESAIÆ SCHNEIDERI, FRANCOFVRTANI.

Quid differat à *Societate* & *Communione Bonorum*. In *lucro* eam consistere, & ejus nomine *pro socio* agendum esse. De bonis *separatis* seu *propriis*. Esse vel *omnium* bonorum vel bonorum *simpliciter*. De *Mercatoribus* & *Opificibus*. De acquisitione *conventionali*. Quid *Romanô jure*, quô uxor marito acquirit. Quid *Germanicô*, *Canoni-*

cò à *Statutis* aliis. Quid si ducatur uxor *in loco*, ubi nulla conjugum acquisitio. Quid si *ante thori conscensionem* alter *moriatur*, aut *nullos* suscipiat *liberos*? Quid in *putativo matrimoniò*? de *Doctore*, item *Nobilibus*, *opulentis*, maritò vel uxore. *Mercaturam* tantùm respici, ut excipiatur. De *observantiâ*. An *dona* eò pertineant, etiam *fortunæ*? Quid si maritus v. c. in acquirendo *dolosè* agat? *Feudæ* huc non respicere, sed tamen *fructus* Feudales. De acquæstu ex *apportatis*, item *hereditariis*. Possessionem & dominium *communia*, & obligationem ad *æs alienum*, post mortem in portione debitâ. *Ratio* Statuti. *Pacta dotalia*, item *renunciatio*, ùt & *repudiatio*, in contrarium. *Exemplum* Commentationis Statutariæ. JENÆ, CIↃ IↃC XCV. 4.

CV.

DISS. DE JVRE REPRESSALIARVM, JVRISQVE GENTIVM ET CIVILIS QVA ILLVD CONVENIENTIA ET DISCONVENIENTIA,

M. JO. JACOBI MÜLLERI, JENENSIS.

De *nominis* ratione: quâ *potestate*, quô *fine*, *adv. quos* & *quomodo* in personas obtineant. Non adhiberi eas *intrà fines tertii*, bello non impliciti.

Par-

Partitio. De ipsius *Gentium Juris*, (quod scilicet ex liberâ *voluntate* Gentium pendeat, & aliqua etiam, quæ *naturali jure vetita* sunt, complectatur,) *existentiâ*, & *discrimine* à *Civ.* ùt & *Nat.* Juribus, DIGRESSIO. Non repugnare *Represalias*, si conditionibus suis nitantur, Juri *Gentium*. Porrigi illas etiam ad *innoxios*, nec tamen ad *vitam*; repressis *Dissentientibus*. Quænam *Juris Gentium* & *Civilis Romani* circà Repressalias sint *differentiæ*. Operosa collatis *Doctoribus* Juris G. & *Moralistis* tractatio. JENÆ, CIↃ IↃC XCI. 4.

CVI.

DISS. INAVGVRAL. DE BONORVM ALLODIALIVM IN FEVDALIA INCORPORATIONE,

JOH. WILHELMI THAVRERI,

HASSO CASSELLANI.

Quid & quotuplex sit *Incorporatio*. De *oblatione*, ùt & investiturâ *futurorum*. *Vnionem* solam nil efficere. *Quis* incorporare possit: an *minor*, *filiusfamiliàs*, *Episcopus*? *Cui*: an Filiofamiliàs, Imperatori! An *pecunia*, *Res Ecclesiæ*, *alienæ*? *Probari* eam oportere; & quibus hoc fiat modis? Quibus con-

conjecturis? *Effectus* Aperturæ, Renovationis, Fori *Exemptio* ex Vnione. Necessaria doctrinæ capita suppeditat. JENÆ, CIↃ IↃC XCIII. 4.

CVII.

DISS. DE RESISTENTIA QVÆ FIT POTESTATI,

JO. CHRISTOPHORI WILD, RATISBONENSIS.

R*esistentia*, quid & quotuplex ea sit? an fieri queat *Majestati*, & quousque ad patientiam teneatur subditus? De *alienatione rerum*, de *operis* Subditorum. De vi in *Religione*; cumprimis quoad *Statûs Imperii*. De *Monarchomachis*, & scitis inter *Pontificios*. De Statu Imperii *subalternô*. De *jurisdictionis* vigore in ordinariis seu *Delegatis* aut Commissariis. In specie de *Citatione personali*: executione in *pignorandô*, (arrestandò, sequestrandô,) mittendô *in possessionem*. Deinde in *Criminibus*, quoad Inquisitionem generalem & specialem. Hîc de *Capturâ* & incarceratione. De *ministris* Judicum, Notariis, Apparitoribus, Nunciis, Lictoribus, Carnificibus. De pecuniæ publicæ

blicæ *exactoribus* in Tributis & Vectigalibus. De *Custodibus*. De *Militari statu* in expeditionibus & Metatis. De *Resistentiâ*, quæ fit Magistratui *Ecclesiastico*: & quæ *Feudali*. Item, quæ fit *potestati privatæ*, velut *Imperio* paterno aut herili; ùt & potestati *administratoriæ*; ceu est maritalis. Methodica, erudita, necessaria pariter ac provida tractatio. JENÆ, CIↃ IↃC XCIV. 4.

CVIII.

DISS. DE JVRE RERVM,

quam asseruit

BERNHARDVS LVDOVICVS MOLLENBEC,

RINTELIO VVESTPHALVS.

In eâ *singularia* illa, quæ circà *distinctiones* rerum & *jura* earundem, tam *in re*, quàm *ad rem*, occurrunt, præcipuè verò quæ circà *Possessionem*, *Dotem*, *Hæreditatem*, irreplerunt Disputationes, ad momenta sua rediguntur. JENÆ, CIↃ IↃC LXXVIII. 4.

CIX.

ÆXPERIMENTVM CONCILIATIONIS ENANTIOPHANON, IN DECISIONIBVS MEVIANIS.

GVSTA-

GVSTAVI CAROLI SCHARNHORST,
VERDENSIS.

In locum DISS. INAVGVRALIS.

Conciliare inibi studet (1.) I. Dec. 18, 5. & VII. D. 309, 7. (2.) I. D. 45. & IV. D. 290. (3.) I. 63. & VII. 308. VI. 114 (4.) I. 119. & V. 402. (5.) I. 133. IV. 32, 8. & II. 129, 8. 130, 1. 2. III. 84, 4. I. 218. (6.) I. 206. & VIII. 300. (7.) II. 237. & IX 14. (8.) II. 241. & VI. 48. (9.) II. 287. & VII. 250. (10.) II. 301. & IV. 51. (11.) III. 17. & IV. 32. (12.) III. 22, 1. & III. 170. (13.) III. 171. & IV. 13. (14.) III. 201. & II. 93. (15.) III. 314. & VIII. 48. II. 52, 1. (16.) III. 381. & VIII. 445. (17.) IV. 5. & VI. 405. IX. 78. (18.) IV. 14. & IX. 2. (19.) IV. 59. & V. 183. (20.) IV. 84. & VII. 124. (21.) IV. 106. & VIII. 96. (22.) III. 29. & VI. 209. VII. 286. (23.) III. 106. & V. 141. VIII. 40. (24.) III. 123. & IV. 387. (25.) III. 166. & IV. 169, 1. (26.) V. 20. & VIII. 173, 11. II. 34. (27.) V. 346. & VI. 57. (28.) VI. 69, 1. & VI. 29, 3. 4. (29.) VI. 128. & VII. 344. (30.) VI. 383. & VIII. 406. (31.) VI. 386. & VII. 136. (32.) VII. 56. & VI. 221. item VII. 181, 1. & IV. 140. (33.) VII. 193. & VII. 384. (34.) VII. 286. & VIII. 80. (35.) VII. 346. & VIII. 112. (36.) VIII. 215. & VIII. 328. (37.) VIII. 392. & II. 338. (38.) IX. 36. & IX. 82. (39.) IX. 166. & IX. 134, 8. (40.) VI. 216. & IV. 92. VI. 59. (41.) II. 94. 95, VI. 319. VII. 236. & IV. 112. (42.) IX. 143. & IX. 193. (43.) VI. 222. & VI. 275. Docta, arguta, & utilis opera. JENAE, CIↃ IↃC XCIV.

CX.

DISS. INAVGVR. DE PAVLIANA
QVAM PRÆSIDE DN. STRVVIO,
JO.

JO. HARTMANNVS SCHEIBLERVS,

GEMVNDANVS AD VVOHRAM HASSVS.

Per *Causas* plenè tractavit, scholas in eâ *Lynckerianas* secutus, quibus innutritus fuerat. In *Republ. Roman.* olim adv. obæratos *dissectionem* statutam; dehinc *addictionem*. De nomine *Paulianæ*. Esse eam revocatoriam illam *in §.6.d. Actionibus*. Differre ab illâ *Interdictum fraudatorium*. Dativam esse actionem. *Gestum*, ceu conditionem sinè quâ non Actionis, versari in committendo vel omittendo. Ibi conventione & alienatione. Quando alienare censeatur debitor etiam *non acquirendo*: Quid de Legatô: de inofficiosi querelâ: de Legitimâ, repudiatis. Fisci debitorem repudiare posse. Neminem v. posse non acquirere jus jam quæsitum; v. c. dominium rei, ex contractu sibi jam debitæ. Dari Paulianam etiam ob alienationem *ante missionem*. Contrà Legem gestum quatenùs nullum sit. Dari quoque actionem hanc *hypothecariis*. Dari adv. conscium fraudis; sed non adv. successorem ejus singularem, non conscium. Dari tamen adv. ignarum, si titulô lucrativô rem acceperit; etiam quando acceperit Legatô, ùt & in Dotem. De eo quod lusu perditum est. De Vasallo Feudum refutante. De *Filio*, quomodo is hereditatem Patris repudiare

queat? & quid de Creditoribus ratione Feudi. Quid si bonis cedat debitor? Quid si carceri detur. De *solutione* factâ anticipatò uni alterive creditorum? item creditori in diem vel sub conditione. Et quid de usuris solutæ pecuniæ? si quis publicam sibi hypothecam constitui curet, privatis anterioribus. De persecutione *debitoris fugientis*, & extortâ ei pecuniâ, nec dum bonis possessis. Quid si debitor creditori resistat. Posse pendente processu concursûs uni creditum suum quandoque *adjudicari*. De rebus surrogatis in locum alienatarum. *Fructûs* non restitui. Paulianam esse *anomalam*; non esse in rem scriptam. Esse v. annalem, & quando sit perpetua? Quâ ratione fraus probetur. JENÆ, CIↃ IↃC LXXV. 4.

CXI.

DISS. INAVG. DE SVCCESSORE FEVDI,

JO. CHRISTOPHORI MüLLERI,

BRVNSVICENSIS.

Quosdam in Feudum succedere *prohiberi* rat. *Personæ*, alios ratione *Feudi* Ipsius. *Proximum* ultimùm defuncto esse successorem: & *familiâ vocatâ* proximum ex illâ. Etiam *marem alterius lineæ* in Feudo fœmineo præferri fœminis in Vasalli lineâ;

neâ; & *nepotes ex fœminâ*, nepti ex mare. *Legitimatos* per ſubſequens matrim. non admitti in Ducatu *VVolferbytano.* *Clericos* poſſe ſuccedere, ſi agnato nec dum jus quæſitum ſit, Domini aſſenſu. Posſe etiam, quando ſervitium reale debetur; aut Feudum annexum eſt Dignitati Eccleſiaſticæ: tum & ubi conſuetudo obtineat, ùt in *Saxoniâ.* Ad quem deinde *Melioramenta*, item Bona *unita* perveniant. *Expectativam* etiam ad heredes Expectativarii pertinere, nec quod *Jure Saxon.* in contrarium diſpoſitum reperitur, uſu ſervari. JENÆ, CIↃ IↃC LXXXIX. 4.

CXII.

DISP. INAVGVRAL. DE AMPVTATIONE MEMBRORVM IN HIS QVI DELINQVVNT,

HENRICI GVNTHERI BöTTICHERI, KELBRA THVRINGI.

Per *Cauſas* tractatio. Vbi de *Talione*: *Executoribus.* Zu Haut und Haar. *Excœcatione.* *Tonſurâ*: frequentiori *aurium*, *digitorum* amputatione, probè ſatis & practicè agitur. JENAE, CIↃ IↃC LXXXI. 4.

CXIII.

DISS. INAVGVR. DE PRIVILEGIIS DEPOSITI,

ANTHONII FRIDERICI DOLLE,
HAGA SCHAVMBVRGICI.

Vndecim eorum deducit, ſatis diligenti & utili operâ. Eſſe nim. *Privilegium Depoſiti* (I.) quòd deponens quandocunque libuerit, posſit repetere depoſitum: *illicò* etiam, ſecùs atq; in precario; & nec attentô tempore appoſitô. In Depoſitô tamen *irregulari* ad uſum, concedendam depoſitario dilationem. Sic & *ſequeſtrum neceſſarium* habere conditionem. *Depoſitarium* verò non poſſe *ante tempus*, niſi juſtisſimâ urgente causâ, rem reſtituere. (II.) Quòd *executionem paratam* habeat. Et tamen opus eſſe Proceſſu ordinariô, ſi cauſa efflagitet. (III.) Quòd *Compenſationem* non admittat, ne quidem in objectô habili; etiam in *irregulari*: ùt & in ſurrogatô. (IV.) Nec *Retentionem*; niſi quoad hoc quod in actionem Depoſiti contrariam venit. (V.) Non etiam *exceptionem N. N. P.* (VI.) Quòd *exceptio dominii deficientis* ei opponi non posſit, niſi rei vindicatio inſtituta ſit, aut actio furti, aut Depoſitarius ſe dominum eſſe contendat, vel tertius interveniat. (VII.) Non etiam *Moratorium*; licèt uſus ſit pecu-

niâ

niâ depoſitarius. (IIX.) Quòd *arreſtari* per tertium non posſit ſeu impediri per denunciationem, reſtitutio ejus. (IX.) Quòd *infamiâ* posſit affici depoſitarius, ob doloſam inficiationem, ſi ordinariè actum ſit. Deinde quòd utens depoſitô *furtum* committat. Porrò, quòd etiamnum ob depoſitum miſerabile *in duplum* agatur. (X.) Quòd non obtineant in eo *quadrimeſtres induciæ*; niſi rei locô æſtimationem debeat depoſitarius, aut uſus depoſiti ei conceſſus fuiſſet. (XI.) Quòd *deponens privilegium perſonale* habeat *ante privilegia perſonalia* chirographariorum, in Concurſu: ſi depoſitô uſus fuerit depoſitarius, invitô deponente: aliàs *poſt illa*, ſed ante chirographarios, collocetur, niſi uſuras ſibi pactus ſit. JENÆ, CIↃ IↃC LXXVIII. 4.

CXIV.

DISS. INAVGVR. DE RELIQVIS,

JO. CHRISTIANI SCHRöTERI, JENENSIS.

Diſtinctiones adh. aliquot *Reliquorum* proponit, poſtquam de *naturâ* eorum *aliâ Diſputatione* jam egerat. Deinde quando posſint peti *Reliqua*, quibus *Actionibus*, in quônam *Forô* & quâ *procedendi* ratione, disquirit. *Quotannis* ferè teneri Rationes reddere Adminiſtratores. *Actionem realem* ratio-

tione ſpecierum, *perſonalium* v. ſpeciales quasdam eſſe, velut Tutelæ, Mandati, &c. tum & *hypothecariam* dari. *Forum* eſſe geſtæ adminiſtrationis, etiam *privatæ*. Domini eſſe *electionem*, an Adminiſtratorem in loco domicilii convenire velit. Quid ſi *plures* ſint *Domini*, ſi *plures Adminiſtratores*, ſub diverſis Judicibus. In *Palatiis Dominorum* reddendas eſſe rationes. De *Clericis* aliqua. Proceſſum eſſe *ſummarium*. Citatione opus eſſe. Quænam *Remedia* vicisſim *Adminiſtratori* adv. Dominum competant. De *Liberatione*. De *Impenſis* in rem Domini factis. De *Vſuris* reliquorum. Non deberi ex Reliquis, quæ *pœnæ nomine* ſolvuntur. Quando *moram* cenſeri posſit admiſiſſe Adminiſtrator. De *hypothecâ* pro Reliquis, absque privilegiô; & in quorum Adminiſtratorum *bonis* illa locum habeat? An etiam *hæredes*, v. c. pupillorum, illâ gaudeant. Et de *Pignore tacitô*. De *Fidejuſſoribus*. *Solutionem* liberare à Reliquis. De ſolutione *particulari*. De *præſumtionibus* ſolutionis. De *compenſatione*. *Præſcriptione*. *Juramento*. *Remiſſione*. Subjungitur expoſitio *L.* 28. *§.* 4. *d. Liberat. Legatâ*. A Tutore à rationibus liberato an *pecunia* ex tutelà *reſidua* peti posſit? Non poſſe eam; quæ *perſonali actione* poterat exigi; poſſe eam, quæ etiam *Rei Vindicatione*, relicta

licta ſcil. tutori ſeu penes eam repoſita. Plura de *Modo & Forma Liberationis.* Et quibus caſibus *ceſſet Legatum Liberationis.* Docta & utilis tractatio. JENÆ, CIↃ IↃC LXXXIII. 4.

CXV.

SELECTARVM POSITIONVM CENTVRIA,

potisſimùm ex Lectionibus Pandectarum *Lynckerianis* deſumpta.

JO. FRIDERICI DE RITTER,

JENAE, CIC IↃC LXXXVII. 4.

CXVI.

DISS. DE PRÆCELLENTIA MARIVM PRÆ FOEMINIS,

IO. GEORGII MANCKELII,

VVETTERAV. ASSENHEIMENSIS.

Vbi diligenter exponit *L. 9. d. Statu Homin.* Non quidem ad inſtitutum *Pruckmanni & aliorum* Veterum, ut & quorundam de *Privilegiis Fœminarum*; ſed ut de conditione *meliori Marium* ageret præ Fœminis; idque P. I. *generaliter*: in quâ de Juſtitiâ & rationibus *Legis* in univerſum, & de *partibus* ejus ac *ſenſu*: in quibus Articulis melior ſit Fœminarum

con-

conditio, per *XIX. ſpecies*, ex omni Jure depromtas. Sed P. II. *ſpecialiter*, quoad *nominis* rationem ſ. verbi, tum & quoad *rem* in Jure PVBLICO, per varia capita: & in PRIVATO, circà *perſonas*, *res & actiones*, Prærogativam Marium optimè deducit, ſparsô ubique variæ doctrinæ lumine. GIESSÆ, CIↃ IↃC LXXIII. 4.

CXVII.

DISPVT. DE PROXENETIS,

GERHARDI WENNEMARI ELBERI, BOCHEMIA MARCANI:

Doctrinam hanc ſtudiosè & utiliter excuſſit; idque plenâ *cauſarum* methodô. Igitur Proxenetæ *nomen* evolvit. Illum intrinſeca & ſubſtantialia negotii promovere. Cæteros non nſ. amicos eſſe. Differre eum à *Nunciis*; item *Procuratoribus*. *Nobiles* inde arceri, Palatinos, Milites, & quibus commercia obire non liceat. Poſſe eſſe *pupillos*, minores, etiam prodigos, fœminas; ſed *Mercatores* non poſſe. Adeſſe Proxenetam *contractibus*, nuptiis, fœderibus. *Tutorem* non poſſe exigere proxeneticum pro nuptiis pupilli; imò acceptum poſſe condici. Alios non poſſe paciſci ultrà 20. partem dotis. Non obligari proxenetam ob *conſilium*,

niſi

nisi dolô fecerit. Adversùs *singulos* in solidum agi. Et si principalis deceperit cum proxenetâ, *principalem* solum conveniri. *Libros* proxenetæ non probare semiplenè. *Commendatione* puellæ v.c. ipsum non teneri, nisi dolus ejus possit argui: eumque facilè in eo, ob lucrum speratum, præsumi. Si quantitas dotis non præstetur, proxenetam ad interesse obstringi. De proxenetâ *sceleris*: de simoniâ, usuris. *Notarios* mitiùs puniri; quippe qui perfectis negotiis superveniant. Si *casu* negotium impediatur, posse adhuc quid petere proxenetam. Quamvis nil promissum sit, dari persecutionem *extrà ordinem*. Si res *redhibeatur*, etiam proxeneticum esse restituendum, si consensu venditoris dederit emptor proxeneticum; non si dederit liberè. Sic & in *retractu*. *Solutionem* proxenetæ factam non liberare solventem, v.c. præmium Assecurationis. Si *fines mandati* excesserit proxeneta, mandantem alteri teneri. An Proxeneta *testis* esse possit? in licitis vel illicitis, variè distingvitur. Quid differat à Proxenetâ *Arbitrator*? quid *Suffragator*. GIESSÆ, CIↃ IↃC LXXIV. 4.

CXVIII.

DISS. DE MERO IMPERIO.

EAM
HENRICVS SOLLINGH, TREMONIA VVESTPHALVS
proposuit,

In quâ *Romanô Jure* præmissô, quid *Vsus Fori*, etiam *Ecclesiastici*, nec non *Feudalis*, servet, exactè docetur. JENÆ, CIↃ IↃC LXXIX. 4.

CXIX.

DISS. INAVGVR. DE JVRISJVRANDI
INVALIDITATE,
FRIDERICI GOTTLIEB BLVMBERGII,

Ob delictum in *Subjecto* seu jurante; in *Objectô*, (ubi & de alienis:) in *Formâ*, variis Disquisitionibus referta. Videlicet *Effectus* eximios esse *Juramenti*; nec tamen illud vinculum esse posse *iniquitatis*. Invalidum esse, quod non *per Deum*, quodque non *animo deliberatô* fiat; ubi de *Prodigo*, de errante, decepto, coacto. *Metu* extortum esse nullum, si fiat super re illicitâ seu jure prohibitâ; aliàs tenere. Esse etiam quodlibet metu extortum juramentum in foro externô nullum. Tum & invalidum esse, quod fiat super re Jure *prohibitâ*; ubi etiam de pactis *futuræ successionis*: item Militis, ratione belli injusti, Advocati de quotâ litis, Testis de non deponendô. De Commissario. Super re vel facto

alie-

alienô, aut ſuper re quidem propriâ; ſed tamen mulieris ſinè Curatore, ſuper donatione Geradæ, aut exceſſivâ. Super interceſſione muliebri. De non revocandô teſtamentum. Super contractu minoris, Læſione enormi Laudô. Contrà ſubſtantiam contractûs: in præjudicium tertii. Quòdque Juramentum *naturam actûs*, cui accedit, recipiat. De juratâ donatione, de revocabili ob liberorum ſupervenientiam. De Fidejuſſione juratâ, quòd illa non excludat Beneficia Fidejuſſorum. De ſolutione juratò promiſsâ, quòd non excludat compenſationem. Denique quòd Juramentum contineat Cl. *Rebus ſic ſtantibus*. JENÆ, CIↃ IↃC LXXXVIII. 4.

CXX.

DISP. INAVGVR. DE POTESTATE EMINENTE PRINCIPIS IN JVDICIO:

WOLFFGANGI GEORGII RABE, HALLENSIS SAXONIS.

Quid poſſit *Princeps Summus*, & qui ſimili ſeu *analogâ Poteſtate* pollet, citrà Jus *ordinarium*, in Judicii *Perſonis*; cumprimis Judicis, in delegandô & ſimilibus: (interjectis etiam cauſis ex jure *Perſonarum* & *Rerum*,) tum & in Judicii *Formâ*, puta in *Cognitione* Cauſæ, tum & *Executione*; utrobique in

Civilibus Cáusis, tam *Petitoriis* quàm *Possessoriis*: item *Criminalibus*. Vt tamen ubique Potestas ab *Officio* discernatur. Eruditâ operâ. JENÆ, CIↃ IↃC XXC. 4.

CXXI.

DISS. DE COMMISSARIO IMPERIALI AD NEGOTIA STATVS,

JO. CHRISTOPHORI PVRCKL, RATISBONENSIS,

Ibi *Nominis* Commissarii Etymon. Synonyma ejus. Et quidem de *Missis*, *Deputatis*, *Delegatis*; tum & de Affinibus, & *Residentibus*, *Nunciis*, varia. Quid *h.* nomine *Statûs* veniat? Quandoque *Cæsarem rogari* pro *Commissariis*, *Statûs* causâ. De *Instructione*, *Plenipotentiâ* eorum, ùt & *subdelegatione*. Ad *exteror. causas*, nostris immixtas, sæpè deputari; velut ob *Fœdera*, *Pacem*, *Executiones Pacis*, ubi & de *Executione* Pacis *Osnabrug.*. intrà Imperium, quoad *restituendos*. De redigendis *subditis in* ordinem per Commissarios. De *Banni executione*, *Limitum* constitutione, *Vectigalium* examine per eosdem. *Interiùs* ad Remp. pertinere Commissarios *ad Homagium* recipiendum: ad *Matriculam* rectificandam, *Censum* Imperii recipiendum, *rem Monetariam*: ad *Bellum in Imperio*. Deinde ad *Comitia*, *Circulorum* conventûs, olim ad *Regimentum* Imperii; nunc

ad

ad Conventûs *Deputatorum*. Ad *Visitationem* Summorum Imperii Judiciorum. Denique ad *Causas Ecclesiasticas*; nec non ad *Rem Librariam*. JENÆ, CIↃ IↃC LXXVIII. 4. Solida tractatio, quæ cùm feliciter Auctori cessisset, dehinc eôdem tramite alteram,

CXXII.

DISS. INAVGVR. DE COMMISSARIO IMPERIALI AD CAVSAS JVSTITIÆ,

ADDIDIT.

In neutra omissum videas, quod in arduo, nec ab aliis susceptô, utut fructuosô articulô, disquisitione dignum est; quodque non & doctè resolutum sit. Et quidem in hâc ipsâ *Diss.* de Commissariis *Austregarum*, item Cæsaris *ab Aulâ, cum & sinè voto*, agitur. Austregarum Jurisdictionem *anomalam* esse. Latissimam *Judicii Aulici*: & de *Paritate Assessorum* in eo, quoad *Religionem*. De Commissariis *Rotwilanis*. *Consilium secretius* quando intercedat Justitiæ. *Austregas* restringere etiam Judicium *Aulicum* Cæsaris Per Commissiones non debere præjudicium fieri *primæ instantiæ*. Quid si *exterum* Principem quis conventurus sit? Quinam Fürstmäßige. Quid de *Tutore Principis*. De *Capitulo*. De *Civitatibus Imperialibus*. Si *detrectet* Commissarius *Austregar.* causas suscipere. *Qualis* esse debeat. In quibus *causis* Austregæ cessent. De Commissariis *Aulæ Cæsareæ* vel *Cameræ*. *Istius* potestatem in Commissionibus decernendis multò majorem esse. Quomodo *in Feudis* obtineat, in causis *Criminalibus*, *Religionis*, *Ecclesiasticis*; *Matrimonia-*

nialibus. Quandonam *præteritâ primâ instantiâ* eatur ad Cæsarem. De modô *constituendi* Commissarium. Quid si *cum Cl. recusatione remotâ*, datus sit. De Commissario *ad singulos actus* in Camerâ, per *Exempla*; velut Examinis testium ad perpetuam memoriam. De *recusatione*, item *coactione* ejus. De constituti Commissarii *Potestate.* An possit *subdelegare?* quos & quomodo *citare*: quâ rat. *in contumaciam* procedere. De *Testium examine.* De *relaxatione* à juramento. De puncto *Attentatorum.* De *relationе conventione.* De facultate *exequendi*; etiam *in Austregis.* De his quæ Commissario *adversantur.* De *relatione* Commissarii. De *morte* ejus: *Appellatione* ab eo. JENAE, CIↃ IↃC LXXXV. 4.

CXXIII.

DISS. INAVGVR. DE JVRE RESTITVENDI FAMAM.

CHRISTOPHORI CORIARII,

HALLENDORFFENSIS HASSI,

A quibus fiat Restitutio, *propriâ* vel *delegatâ* potestate, vel ex *Privilegiô.* Effectûs infamiæ tolli, *lituram* non æquè. Potissimùm verò absumitur *tractatio*, in recensione eorum, qui per Jus universum, Civile & Canonicum *infames jure* fiunt aut *sententiâ judicis.* De Effectu *restitutionis*, quâ & reliqua præter famam reparantur; & sic quoad *bona.* Restitutô Patre *filii* adh. superstitis *testamentum* corruere. Tandem aliqua de *levi maculâ notatis* adduntur. JENÆ, CIↃ IↃC LXXVIII. 4.

CXXIV.

CXXIV.

DISS. INAVGVR. DE BAPTISMO,

JO. JACOBI HARTVNG,

MARLISHVSANI THVRINGI.

Quatenùs ille ad Iurisdictionem *Consistoriorum* pertinet; veluti de *Baptizandis*, nec dum editis, immaturis, monstris, infidelium, expositis infantibus. Porrò de *Baptizantibus*, impeditis. De *nominis* receptione. De Laicis, Mulieribus, Patre, se ipsô, Hæreticô baptizante. *Reiteratione* Baptismi. De *Literis* baptismalibus: natalitiis. *Patrinis*. Obstetricibus. Conviviô. Denique de *neglectu Baptismi*.

JENÆ, CIↃ IↃC LXXXIV. 4.

CXXV.

DISS. DE EO QVOD CIRCA SACRAM COENAM IVSTVM EST,

CASPARIS IOHANNIS BRETNüTZ,

NEBRA THVRINGI.

Causarum methodô. Nec posse eam *Laicum* ministrare, nec alteri, nec *sibi*; posse tamen Laicos *ex se Pastorem* constituere, in locum incultum rejectos. Ab *impio* posse *recipi* Sacramentum; non ab *heterodoxô*. An ministrandum aliis, quàm *Parochianis*. De *denegatione* Cœnæ. Si superior *indignum* Ministro obtrudat. De *intoxicatione*. De substitutione alienæ *materiæ*, in locum veri & frumentacei panis, vetitâ. De pane fermentatô. De *Hostiâ*: item *Mustô*. Indifferentem esse *aquæ mixtionem*. De Commu-

munione *sub unâ.* Illam non esse adiaphoram. De *consecratione*, quâlibet etiam linguâ, per verba integra Institutionis peragendâ. De *iteratione* ejus, si quid ex illâ omissum fuerit. De *Hostiâ* dividendâ. Si quis *Calicem* priùs porrexerit. Ipse si Calicem *sumat* communicans. Improbatur *missio* elementorum consecratorum. De *privata communione.* De eo, quod ex consecratis elementis post communionem *superest.* De *vicibus* Communionis; velut de hebdomadariâ. De *genuflexione.* An Cœna exhibenda *Infantibus*, obsessis, mutis, surdis, abstemiis, epilepticis, ad vomitum pronis, alienæ religioni addictis, litigantibus, his qui artibus illicitis utuntur, & quomodo danda publicè pœnitentibus. De ad Cœnam *coactione.* Non esse illam adhibendam ad *probationem innocentiæ;* nec ad *fœdera* firmanda. De nefandô usu illius *ad sortilegia.* De S. Cœnæ *contemptoribus.* De Blasphemis in illam. De irreverentibus: illam impedientibus. Subjectis *Corollariis* huc pertinentibus. Tractatio practica & luculenta, satis munita. JENÆ, CIↃ IↃC XC. 4.

CXXVI.

DISS. INAVGVR. DE FATALIBVS,

JO. FRIDERICI HERZOG,

DRESDENSIS MISNICI.

Dierum puta, *Mensium*, *Annorum*, *Temporis immemorialis*, in *Actionibus* ipsis; tam ex Jure *communi*, quàm *Saxonicô*: (annexâ doctrinâ de computatione temporis, quoad *terminum à quo & ad quem.*) Dehinc de Fatalibus *Processus*, in Citationibus, propo-

ponendis Exceptionibus, Comparitionis in Judicio, Legitimationis, Mutationis Libelli, Juramentorum, Probationis, &c. Leuterationis, Appellationis, Executionis. Tum & hîc, quæ in aliorum *Interventione*, circà Denunciationes, & aliàs occurrunt. Denique de Fatalibus *Jurium* & *Actuum* expediendorum, quibus jura nostra conservamus, per *momenta*, *horas*, *dies*, *menses*, *annos*: solidè & fructuosè agitur. JENÆ, CIↃ IↃC LXXVIII. 4.

CXXVII.

DISS. INAVGVR. DE NOMINATIONE SOCII CRIMINIS.

CASPARIS CREVZING, HALA SAXONIS.

Maximè ad *Art. XXXI. Ord. Crim.* directa. Vbi de *Reticentiâ*: tum v. & *Nominatione extrajudiciali*, *judiciali* simplici, a. qualificatâ: nec non de *exculpatione* & *revocatione*. Dilucida, plena, & solida tractatio. JENÆ, CIↃ IↃC LXXXVI. 4.

CXXVIII.

DISS. DE BONIS EREPTITIIS,

RVPERTI SIGISMVNDI HÆBERLINI. RATISPONENSIS.

EREPTITIA differre à *Caducis*, ùt & ab his, quæ *pro non scriptis* habentur; etiam *hodiè*. *Indignum* esse non nisi eum, quem *Lex* talem declarat, aut vult declarari posse. Huic relictam portionem *per Fiscum auferri*; *nisi* quando injuriæ suæ ultionem alius consequitur, aut concurrit cum indi-

gnitate incapacitas. Quid si *ante causam indignitatis* relictum sibi quis repudiet? quid si *post* illam admissam. Differre à repudiatione, *non acquisitionem* juris jam *quaesiti.* Quænam *bona* fiscus occupet? etiam *Legitimam:* ex personâ indigni; & sic cum *oneribus*, nec tamen ultrà bona. Fieri id *causâ cognitâ.* *Mobilia* cedere Domino loci domicilii; nisi aliquò fixa sint, ùt & actiones personales. Non esse sublatum *Jus indignorum* per *Avth. Bona damnatorum. C. d. Bonis proscriptor.* quippe quæ respiciat ereptionem, in consequentiam servitutis pœnæ. *Art. CCXVIII. Ord. Crim.* secùs habere, ubi pœna sola Confiscatio est. *In specie*, Indignum esse, quem vel *homo* talem declaret, etiam *per consequens*; velut si heredem deleverit: quâ tamen ratione heredi ab intestato locus fiat. *Legem* declarare eos indignos, qui in *superstitis personam* iniqui sunt, vel in *bona* ejus: (De *L. un. C. si Rect. Provinc.*) tum & qui *neci* eum tradunt vel relinquunt. Nec dum *ab usu* recessisse *Silanianum*, quoad necem defuncti vindicandam. Etiam *Romanô* jure *Inquisitionem* Criminum obtinuisse. Cumprimis autem de his agitur, qui vel *matrimoniô* vel *patronatu* obstricti sunt defuncto; ùt si vidua præproperè nubat aut luxuriosè vivat: Quid si *adultera* fuerit? Porrò etiam de his, qui *contrà* Testatoris *voluntatem* delinquunt; ùt qui *de hæreditate* ejus *paciscuntur:* qui testatorem *ad testandum* induxit, coëgit, prohibuit: & cuinam hæreditas deferatur. Ulteriùs de his decernitur, qui injurii sunt *in demortuum* aut *voluntatem* ejus; veluti si eam falsi arguunt, aut inofficiosi accusant: tum & qui eam non implent; ùt si quis à tutelâ testamentariâ se excuset. Denique subjicitur *Responsum* Facult. Jurid. JENENSIS, de Confiscatione Bonorum *rat. Criminum.* JENÆ CIↃ IↃC XCIV. 4.

CXXIX.

CXXIX.

ASSERTIONES EX DIVERSI JVRIS MATERIIS.

JO. ALBERTI MÆMMING, BOJI.

Satis controversæ, cum *rationibus*. Videlicet, Jus *accrescendi* non transire in *emptorem hereditatis*. *Lasionem* immodicam stare cum *transactione*. An actio de *evictione* in *transactione* locum habeat. Pro *hypothecis Legalibus* non dari Servianam, nisi utiliter; sed *hypothecariam civilem*. *Petitionem hereditatis* merè *realem* esse. Posse *filium* heredem *retrahere* fundum adventitium à patre venditum. *Juramenta minorum* quatenus efficiant, ut contractus illorum servari debeant. *Unam* esse præscriptionem *annuorum redituum*. *Arrogatos*, in casu iniquæ *exheredationis*, etiam posse uti Querelâ inoffic. testam. De *hypothecariâ* ob legatum *generis*, item rei alienæ, competente. Filium non posse *legitimam acceptare*, repudiatâ reliquâ hereditate. Actioni *furti* etiam Jure *Canonicô* præscribere furem posse. Non posse *Filium*, ne quidem consentiente Patre, de peculio adventitiô *m. c. donare*. *Pupillum naturaliter obligari* citrà efficaciam, ubi dicatur in Legibus illum nec naturaliter obligari. Jure communi *Novationem* requirere verba, ubi aliter animus novandi colligi non possit; secùs ubi ex facto evidens sit. Hinc in Delegatione non requiri unquam expressionem. Subnexa sunt quædam *Corollaria* Arithmetica. JENÆ, CIↃ IↃC LXXIX. 4.

CXXX.

DISS. INAVGVR. DE FEVDO PECVNIARIO.

AVGVSTI DRACHSTETT,
HALA SAXONIS:

Vbi, immixtis variis è *communi* Feudorum *Jure*, quicquid est in eo *Pecuniarii* Feudi, cumprimis etiam circà Lehn-Stamm/ studiosè excussum est. JENÆ, CIↃ IↃC XXC. 4.

CXXXI.

DISS. INAVGVR. DE BODMERIA,
JO. DIDERICI VON BüREN,
BREMA SAXONIS.

A *fundô* obligatæ *navis* per dominum ejus appellatâ, ut amissâ eâ sors credita, cum fœnore pereat. Videlicet hîc agitur de singulari *Fœnore nauticô* seu *Mutuô marinô*, ex utrôque, *Civili* & *Canonicô*, jure; tum & de Affini, *Assecuratione*. Esse verò *Bodmeriam*, Pecuniam quæ mutuò datur Navarchæ s. domino navis, sub spe majoris lucri, hôc pactô, ut salvâ nave talis pecunia cum fœnore promissô reddatur; eâ autem amissâ, etiam sors & fœnus intereant. *Pecuniæ* nomine venire quoque *res* alias *fungibiles*; ut si hæ salvæ in portum veniant, reddatur tantundem cum fœnore. Esse & negotia *similia*, v. c. quando pecunia piscatori datur in apparatum. Speciem esse *fœnoris nautici*. *Fœnus* quid sit. Calendarium. Fœneratores. *Gentium mores*, præcipuè Romanæ. *Æquitas* fœnoris, & nautici. Differre nauticum fœnus à *Periculi pretio*. Hoc esse licitum, quoadusque in aleæ speciem non cadit: scilicet ut omne perdat dans in eventum improsperum, sinè spe quid recipiendi. Nam *in aleâ* nil condici posse. In periculi v. pretio haberi spem recipiendi plus ultrà, in eventum prosperum. Bodmeri-

am

am esse vel in abitum, vel etiam in reditum, & aliàs *variè*. Quid si navis ultrà dies præfinitos pereat? Fœnus variæ *quantitatis* fuisse. *Centesimas* usuras probari. Et tamen hodiè intrà illas extrà Imperium non subsisti. Fœnus *terrestre* quasi nauticum. Esse fœnus nauticum etiam *Jure Canon.* licitum; non officiente *c. Naviganti:* de quô pleniùs, Discrimen ejus à *mutuo terrestri.* Posse quoque Collegia *Mercatorum* quid in eâ re statuere. Etiam inter Mercatores, usuram terrestrem majorem non permissam esse, nisi ubi consvetudine invaluit. *Periculum* quod nauta suâ culpâ sibi attraxit, non respici. De *casu* omni aliô. *Nobiles* etiam, quia mercari possunt, huc pertinere. *Plures* etiam dare in Bodmeriam, & accipere. De necessitate *in orâ peregrinâ pecuniam* sumendi, & quòd ea præferatur Bodmeriæ. Præferri etiam eum, qui in emendam navim credidit. Item mulierem navarchi in dote; haud dubiè si mulier in dote prior sit. Non idem esse, in sponsâ. Quid de liberis uxoris. De augmento dotis. De paraphernalibus ejus. Si cum Fisco concurrat nauta: cum Republicâ creditrice. De pœnâ nautæ, qui in alienis Regionibus citrà necessitatem pecuniam in Bodmeriam accepit. De Bodmeriâ s. pecuniâ tali non solvi *Havariam.* Servum etiam datum in Bodmeriam. Dari ob eam *condictionem certi;* an etiam ex Lege vel Statutô? item Hypothecariam. De *Assecuratione.* Esse licitam. Determinari liberè & super variis eventibus. *Jactum* in eâ non censeri. Sed tamen fugam nautæ cum navi. Non posse quem in eâ agere ob læsionem immodicam; quippe quòd hanc non possint allegare scientes. Denique an in Assecuratione locus sit *pœnitentiæ?* Plena & utilis, eaque erudita, tractatio. JENÆ, CIↃ IↃC LXXIX.

CXXXII.

DISS. DE SVMPTIBVS,

JO. LEONHARDI RADEFELT,

GRONOV. WETTERAVI,

HIs contineri *Impensas* & *Expensas*. *Quotuplices* illi sint. Distinctos esse à cæteris, qui *fructuum colligendorum* gratiâ fiunt, & quinam illi. *Actionem* non competere pro his impensis; sed *retentione* servandos: etiam *Advocato* in instrumentis litis. Impensas *in rem* quasnam m. f. possessor deducat. *Furem* nec necessarias deducere. De impensis *in alimenta* & *curationem*; ùt & in *studia*: pro delicto filii. De restitutione Impensarum in *Judicio universali* & *singulari*. De impensis & melioratione, quam possessor ipse non fecit. De *expensis* in *funere*; in specie, Uxoris, Vasalli. De *præferentia* eorum in *Concursu*, *communi* & *statutariô* jure; item in morbum. De expensis *in litem*. JENÆ, CIↃ IↃC LXXXIV. 4.

CXXXIII.

DISS. DE PLENITVDINE SVMMÆ POTESTATIS,

CAROLI CHRISTIANI STRAVSS,

SEDINENSIS POMERANI.

Plenitudine notari *Perfectionem* & *Summitatem*, tum & *ambitum* Jurium omnium; imò etiam *Dignitatem* juxta Potestatem: & hanc quoque in *exercitiô*. Dici verò in CÆSARE Plenitudinem, quando vel *ordinariè* agit, sive assumtis *Statibus* sive ex *Reservatô*: propriè autem, quando *invitis* etiam *Statibus* quid suscipit, eò quòd aliter res exitum invenire

nire non posſit. Ipſe tamen in DISC. jungit hos ſignificatûs, & Cæſari *Monarchiam* tribuit, *generalibus* argumentis, & dehinc per *Jura ſingula*, tum *communia*, ùt dicere licet, tum *reſervata*. *Abſolutam* eam eſſe, quà hoc plenum notat; ſecùs quà abſoluta limitatæ rat. modi opponitur. Non dici mit Conſens des Reichs; ſed der Stände. Cæterùm non eſſe rectam aut veram ſententiam *Reinkingii* & aliorum *Monarchiſtarum*; ſed ex *Præſidis* definitione rem inſtruendam eſſe. Vtilis & exacta ſatis doctrina. JENÆ, CIↃ IↃC XCI. 4.

CXXXIV.

DISS. DE SVPERIORITATE SACRA,

PHILIPPI GUNTHERI FORSTER,

CIZA MISNICI.

De *Origine* ejus, & quatenùs *ante Reformationem* obtinuerit: quòusque penes *Catholicos Seculares* Principes ſit. Quid *Cæſari* tribuant *Proteſtantes*. Nil eos debere *Pontifici*. Quid de *Apanagiatis?* De *Directoribus Circulorum*. De Dominis *Pignoratitiis*: *Nobilibus immediatis*, & aliis, qui omnigenam Jurisdictionem habent. De *Civitatibus*, etiam *mediatis*. Conſpici Jus Sacrorum in *Religione*, *Perſonis* Sacris, & *Bonis* Eccleſiaſticis: & quænam in his omnibus ſint partes *Juris Epiſcopalis?* *In ſpecie* de Doctrinâ ſeu *Religione* introducendâ. De *exercitiô* liberô, & *Reformatione*; item *Emigrandi* Beneficio. De coërcitione *Hæreticorum*. Tum & de *Ritibus*. De *Judicio Eccleſiaſticô*, velut *Conſiſtoriis*; & de *Proceſſu* Conſiſtoriali, in licitis & illicitis; puta

puta *Delictorum* coërcitione. In ſpecie de Judice cauſarum *Matrimonialium*, quæ ipſos *Statûs* concernunt. De convocatione *Conciliorum* & *Synodorum*. Erectione Eccleſiarum ſ. *Templorum*: *Collegiorum* & *Scholarum* illuſtrium. De *Excommunicatione* majori & minori. *Diſpenſatione* in gradibus matrimonii prohibitis: Relaxatione *Vrphedæ*. *Bonorum Eccleſiaſticorum* Diſpoſitione, ùt & *Seculariſatione*. Denique de *Contrariis*, quoad *Præſcriptionem*. De *Affini Patronatûs* jure. Ad extremum, an *armis* tueri queant Statûs Imperii Libertatem Religionis. Idonea ſatis & utilis Tractatio. JENÆ, CIↃ IↃC LXXXIX. 4.

CXXXV.

DISS. DE POTENTATV,

IO. MICHAELIS HARTMANN,

SVEVO-HALLENSIS.

Robur illum ex *Jure Gentium Publico* conſequi, magis quàm Majeſtas. Fruſtrà illum ad *Superioritatem Territ.* redigi. *Furſtenerium* nomine minùs congruô uſum, nec rem ex vero expoſuiſſe. SECT. I. GENERALI docetur, à *Potentiâ*, in Pacis Bellique negotiis, eum dici, & *Latinum* eſſe. A *Libertate* etiam diſtingui: non eſſe tantùm *facti*. In ſenſu *propriô* ad ſolos *Germaniæ Statûs* pertinere. (Aliàs etiam ad *Italos*, Imperio addictos.) Potentes Orbis, & Respublicas, *independentes*, Potentiæ vim ex *Majeſtate* ſortiri. Eſſe ergò potentes, *Electores* & *Principes* cæteros, qui *robore* illô valeant. Eò Jus *Belli*, *Fœderum*, *Legationis* pertinere; ſed cum *Viribus* idoneis & efficaciâ perfectioni debitâ; unde quoque *Auctoritas* Eorum præcipua inter Statûs cæteros. Eſſe *gradûs* Potentium; ubi de Electoribus quibusdam *Eccleſiaſticis* & *Principibus* nonnullis Imperii.

Præ-

Prærogativas *Electorum, quà tales* ſunt, in Imperiô, huc non pertinere. Poſſe in potentiâ *pares* habere, imò *validiores*, ex Collegio Principum. Malè *Fürſtenerium* Electores ſolùm comparare *Venetis*, *Principes* verò alios *Ducibus Italiæ*. Malè Ipſum incapaces judicare Potentatûs *Civitates* olim *Hanſeaticas*, ût & *Imperiales* liberas. Nihilominùs tamen *Alios* perperam tribuere Potentatum *cuilibet* Imperii *Statui*: quia *Jus* ſcilicet ad illum habeat. Nam Jus hoc ſi non pro Efficiente, ſaltim ex parte; tamen pro *conditione*, *ſinè quâ* non conſtitui nec conſervari poſſit, habere *vires idoneas*: atque has non per accidens, ſed *per ſe*, gignere Potentatum; ſaltim ût *cauſa ſocia*: adeoque *Facultatem virium* eminentium in eô, qui ſtatum publicum regit, in genere *morum*, peculiare quid conſtituere: quoniam inde *effectûs* procedant certorum *Jurium* & Prærogativarum, qui ex Juribus *Superioritatis Territorialis* obtineri non poſſint. Actu tamen non haberi nunc quidem *Civitates Imperiales* inter Potentes. Denique *Præcedentiam* non ſumi in *Imperio Rom. Germ.* ex potentiâ. In SECT. SPECIALI II. exhibentur *objecta*, Statûs *pacati*; nempe *Legationum* & *Fœderum*, cum eminentiâ inter Gentes ſingulari. Ubi & de *Reſidentibus* Potentum. Tum & *bellici*; ubi de *Neutralitate* & Jure *Pacificationis*. SECT. III. de *Characteribus* Potentatûs. *Majeſtatis* nomine non poſſe uti ne quidem eum, qui regionem quandam *independentem* habet, *viribus Regiis* per ſe deſtitutam; ſed tamen *Suprematus*. *Potentiſsimos* ipſos Electores, & *Excellentiſsimos Legatos* ipſorum; non eô ſenſu, quô *exteri* Independentes & Legati ipſorum appellantur. Ex *Præcedentiâ* Potentatum non argui; ne quidem *extrà Imperium*; ubi & de *Italiæ Principibus*. Tandem de *Ceremo-*

niis, per Indicem. Nova, eaque brevis quidem, ſed exactis ſcholis inſtructa, tractatio. JENÆ, CIↃ IↃC XC. 4.

CXXXVI.

DISS. DE ARCHIVO IMPERII,

RESPOND.

HENRICO SIGISMVNDO DANCKLVFFT,

C. M.

NOmen *Archivi*. Quænam ibi & quorum gratiâ aſſerventur. Omne eſſe *publicum*; & vel *Imperatoris* vel *Imperii*. Variæ utriusqne *partitiones*. De Antiquitate Archivorum Imperii, à *Francorum* & *Germ.* Regibus. De Archivo *Viennenſi* & *Moguntino*. De *Camerali* Archivo & Cancellariâ. De originali *Aug.Conf.* ût & *Aur.Bullæ*. De *Protocollô Moguntinô*. Modô petendi quid ex Archivo. De his quæ *ad Italiam* ſpectant, item quæ ad *Galliam*. Ea *Moguntinum* ſervare, ût omnia expedienda in Germaniâ. De Archivo *Auguſtæ* & *Cancellario* ejus, *Abbate Fuldenſi Clericos* olim curaſſe Archiva; ubi *Secretarii*, *Notarii*, *ProtoNotarii*, *Quæſtores*, *Regiſtratores*, *Bibliothecarii*, *Actuarii*, *Chartularii*, *Matricularii*, *Nonnones*, *Tabularii*, *Numerarii*, *Scriniarii*, *Scribæ*, *Magiſtri Scriniorum*, *Archivarii*, & de exemplis talium, etiam recentium. De *incuriâ* ſeculorum ſuperiorum. De *Bibliothecis*. De *Chartario*. *Notitiis*. *Regeſtis*. *Actis publicis* & *Auctoribus* celebrioribꝰ, qui ea protraxerunt, noſtris & ſuperioribus temporibus. De *Jure Orientali* Græcorum *Boneſidii*, *Leunclavii*: Tomis *Conciliorum*. *Bullariis*. Syntagma Rerum Germanicarum *Lambecii*. De *Doubleto* & *Mabillioniô*. De Capitularibus *Baluzii*. *Goldaſto* & ſimili-

bus

bus Antiquariis & Lexicographis. De Literis *Runicis*. De *falsariis*, expilatoribus. *Gratianô*. *Baroniô*. Nullam esse *præscriptionem* falsitatis. De Damnis *Archivi Cæsarei* & *Moguntini*. A *Friderici III.* tempore tutiorem periodum. De *Requisitis* Archivorum & auctoritate, atque vi *probandi*, quæ illis inest; ubi & de *copiis antiquis*. JENÆ CIↃ IↃC LXXXVI. 4.

CXXXVII.

DISS. DE IDIOMATE IMPERIALI,

quam asseruit

GEORG. GOTTLOB STRVVIVS, JENENSIS.

IDiomate usos fuisse Germanos, cumprimis Francos, aut literâ saltim, *Græcâ* vel *Latinâ*, *ante Carolum* Magnum. De *barbarie* in Literaturâ. De *Latinâ* Linguâ, & formulis *Marculfi*. De *plebejo* idiomate, i. e. *Gallicô*. Linguam *Theotiscam* Nobile & Aulicum idioma fuisse; & de literis ac scripturâ ejusdem. De *Otfridô*, discipulô *Rabani Mauri*; & de Grammat. *Teuton.* Caroli. De literis *Runicis* & *Gothicis*. Linguam Latinam *forensem* mansisse. Quando cœperit usurpari in publicis sermo *Germanicus*: an *Rudolphi* primùm curâ. Non cœpisse prævalere ante *Seculum XV*. Laudes Linguæ Germanicæ. *Lutherus*. *Baierus*. *Latinam* ejus filiam, ùt & *Græcam*. De *Celtis*. De *Hebræâ* linguâ. De Idiomate Latinô in publicis. De *Gallicô*, & de *congressu Francofurtanô*. De *Caroli IV.* præceptô in *Tit. 30. A. B.* Quid per *Grammaticam* intelligat; item que de *Italicâ* & *Slavicâ* linguis. *Latinum* quoque fuisse idioma *foren-*

rense in Galliâ, ad usque *Franciscum I.* Peritia Linguæ in *Maximil. I.* & *Leopoldo M.* De *Slavonicâ* seu Vindicâ, & amplissimô ejus usu. De *Turcicâ* & Arabicâ. JENÆ CIↃ IↃC LXXXVII. 4.

CXXXIIX.

DISS. DE CONSENSV ELECTORALI,

GOSSCHE VON AHLEFELD, EQVITIS HOLSATI.

De *Secessu Electorum* à Collegio *Principum*, etiam in Conventu *Deputationis*. *Consensu* Electorum *directivô* exercitium Majestatis Cæsareæ *modificari*, Ipsumque Cæsarem *in Officiô* contineri. Hunc habere pro Majestate *fundatam intentionem*; indeque *Plenitudine* uti, etiam quando *consensum* Electorum adhibet. Regem *Bohemiæ* eò non pertinere. A quo *tempore?* Quædam requirere solùm *vota Collegialia*; quædam *unanimia*. De permissione *Conventuum Electoralium*. An ea, quæ *Comitialis* sunt deliberationis, per Ipsos conficiantur, eaque Cæsar executioni det. Quænam habeantur wichtige Sachen? Causas etiam illas, quæ *Statuum consensum* per se non postulant, Imperatorem *cum Electoribus* communicare. Quid de *ratihabitione?* De Consensu Electorum, quoad *Comitia habenda*. Quid de Fürsten-Recht? De Statu *in Bannum* declarandô; itemque de eô *absolvendo*, si agatur. Ubi & de Imperiali *Camerâ*. De recipiendô quem *in Electorem*; nec non *in Statum*. De *Commerciis, Vectigalibus, Monetâ*. De *Belli Pacisque* Jure. De

Fœ-

Fœderibus. De *Contributionibus. Incorporandis Feudis. Alienandis Bonis* Imperii. De conficiendo Imperii *Recessu. Capitulatione* conficiendâ. Deniq; de *Interregnô.* Fundata probè per periodos & successiones rerum, ad *Usum Imperii,* tractatio; ut præcipua cujusque articuli, quà *Potestatem Cæsaris* & *Electorum Jura,* inde resolvere liceat. JENÆ, CIↃ IↃC LXXVII. 4.

CXXXIX.

DISS. DE EO QVOD JVSTVM EST CIRCA PERSONAS DIVERSÆ RELIGIONIS,

JO. CONRADI SCHEMEL,
ONOLDO FRANCI.

ET quidem SECT. I. PVBLICÔ JVRE. Non oportere *cogi Religionem. Defendi* tamen eam posse, *armis* etiam, à *Statibus liberis,* quales sint Imperii. Vnde *Protestantes*; & ad eos relati *Reformati. Pontificios* jus nullum habere contradicendi *Pacificationi Religiosæ. Reformandi* jus etiam *Nobilibus immediatis* competere. De Beneficio *Emigrationis.* De *Reditibus Ecclesiasticorum* in diversæ religionis Territorio. Quamvis *Conciliationem Religionum* in Imperio sperare non liceat, *Pacem* tamen durare. Annectitur quid de *Judæorum* tolerantiâ. SECT. II. PRIVATÔ JVRE. CAP. I. *Servos* cum Turcis haberi. *Judæos* non esse tales. *Matrimonia* esse cum *Catholicis, Reformatis. Educationem* inde Liberorum, ex pacto vel citrà illud. De *Repudio* & *Divortio.* De Conjugio cum *infideli, hæretico.* De *dote* filiæ hæ-

hæreticæ. *Adoptione* à Judæo. *Alimentatione* liberorum ad hæreticos transeuntium. De *Patrinis* diversæ Religionis. *Tutore* Judæô. CAP. II. De *Sepulturis* defunctorum diversæ Religionis. *Testamenti factione* activâ & passivâ, *hæreticorum, Judæorum. Conditionis* adjectione de amplectendâ *Religione. Substitutione* hæretici & hæretico factâ. *Exhæredatione. Legitimâ* à Patre hæreticô petendâ. *Successione* ab intestato. *Commercio* cum *Judæis.* De horum fœnore, ût & emtione rerum furtivarum. De *Cessione actionum*, Societate, cum *Judæo. Suspendi* non debere Judæos à pedibus. *Veniam* non dandam *delictorum* his, qui convertuntur. De *Servo corrupto* agi posse, ob seductionem. De pœnâ *Coitus* cum *Judæo* vel *Judæa.* CAP. III. *Judicem* diversæ Religionis non posse ût *suspectum recusari. Forum commune*: *Pontificis* nullum, & quônam *causas Ecclesiasticas* deferre oporteat. De *Assessoribus* Cameræ *Catholicis*; item *Procuratoribus.* De *Calendario* novô. Omnium *Ferias* servandas esse. De *Instrumento* pro Judæo, cum Invocatione *Trinitatis.* De Hæretico aut Judæo *teste*, item *Gentili.* Denique de *Formulâ Juramenti* in Sanctos conceptâ. JENÆ CIↃ IↃC XCI. 4.

CXL.

DISS. INAVGVR. DE MVNERE DIRECTORIALI CIRCA NEGOTIA IMPERII,

CHRISTOPHORI RVDOLPHI HEYDENREICH,
GOTHA THVRINGI.

Esse

Esse tum *supremum Moguntini* in Comitiis, tum *particulare*: ùt est *Circulare*, nec non *in Electorum Conventibus*. Tum & *Postarum* quoddam esse, *Archivi*, *Visitatorum Cameræ*. Olim quoque *Regimenti*. *Possessionem* facere omnem paginam, in munere & in *Præcedentiâ* duorum. *Capitulo Moguntinensi* Directorium illud non competere; sed ad *Electorem Saxon.* vacante Sede pertinere: qui non minùs *Directorium perpetuum* habeat in causis, *Protestantium* jura concernentibus. De *Directoriis Collegii Principum*. Item *Civitatum*. In *Deputatorum* Conventu itidem *Moguntinum* fungi Directoriô. De Directorio *Circulorum*. De *propositione* Directoris & ordine capitum. De Collectione *Votorum*. *Conclusi* formatione, *conceptione*: cujus examen soli sibi servet in Comitiis *Electorum* Collegium. Non ubique *majora vota* attendi. De *Cæsaris decisione*, disidentibus inter se Statibus. JENÆ, CIↃ IↃC XCIII. 4.

CXLI.

DISS. INAVGVR. DE PERSECVTIONE HOSTIS IMPERII PVBLICI,

SALOMONIS FRIDERICI FISCHER,
SCHNEEBERGA MISNICI.

Cass-

Cæsarem, ùt *Caput* Imperii, *Bellum* suscipere cum consensu & consilio *Statuum*. *Collectas* quoque subitaneas Ipsum indicere posse. Quisnam hæc agat tempore *Interregni*. De *Præfectis Circulorum*. De subditis *immediatis* & *mediatis*. De *Fœdere* cum infidelibus. De *Neutralitate* prohibitâ. De *Satisfactione* si quis plus præstiterit debitô: & de *Recusatione debiti*. JENÆ, CIↃ IↃC XCI. 4.

CXLII.

DISS. DE RELIGIONE OBSEQVII: A GEORGIO A WERTHERN, BEICHLINGENSI,

Proposita. Ubi non modò *Homagii* necessitas, *nomen* & *discrimina*, exhibentur; maximè quod *reale* concernit; sed & *causæ*, præcipuè quoad *præstantes* Homagium, in *Illustribus*, *Clericis*, *Forensibus*, *Vasallis*; & *quibus* præstetur: an his qui *terras oppignoratas* servant: qui *criminalem Jurisdictionem* habent; & de *Con-Dominis*: cum *Effectibus*, etiam comparatis, v.c. ad *Imperium*, ùt & *Contrariis*; habitâ ubique ratione eorum, quæ *difficilia*, nec per alios satis excussa videbantur. Posthæc non minùs de *Vasallis* & *Clientibus*, itemque de *Studiosorum* & *Militum* Juramentis, aliqua adduntur. JENAE, CIↃ IↃC LXXXII. 4.

CXLIII.

CXLIII.

DISS. DE CATASTRIS,

JO. JOACHIMI MVLLERI,
VINARIA THVRINGI.

De *Contributionibus* in *Imperio*: In Terris *Statuum*, consensu Statuum Provincialium. An *Mediatis*, & quatenùs, competere possit *Ius collectandi*. An *Domino Feudi?* De *Catastrorum* confectoribus, & eorum *revisione*. De *Forensibus*, *Clientibus*, *Iudæis*, *VVildfangiis*, *Clericis*, *Nobilibus*, *Doctoribus*, *Pauperibus*, *Minorennibus*, *Boëthis*, ùt & *Famulis* ac *Ancillis*, denique de *Otiosis*, ùt subsunt Contributionibus. De *Patrimonio Principis*. De *Feudalibus bonis*. De *Paganicis Nobilium*. *Landsassiis*. Universitatibus *Ecclesiasticis*. *Locatis*, Laß-Gütern / *Salinis*, Bonis *incultis*, *caducis*, *restauratis*. De Bonis *extrà territorium*. De *Mobilibus*, velut *Pecoribus*, *Pecuniâ fœnori expositâ*, cum *Antichresi*. De *otiosâ*. De commodis ex *artificiô*, *mercaturâ*, &c. *locariis*, mercede *operarum*, *reditibus annuis*. De *Capitatione*. De *pretio* bonorum respiciendô; & quid de *domibus*, *hortis*, *Feudis Landsassiis*, *animalibus*, *lucris* industriæ. De ordine & processu Catastra *conficiendi*. De *professione bonorũ* & *reticentiâ*: de *æstimatione* eorundem, *publicatione*;

sumptibus. De *commodis* Catastrorum, etiam in *probando.* An inde *Superioritas* probetur. De *obligatione.* De *mutatione possessionum.* De *Jure reali*: *Venditione absque contributione.* De *executione*, per Mulctam, prehensionem, Militum impositionem, Pignoris capionem, distractionem bonorum. De *actionibus* adv. *subditos*, cum privilegio; & *adv. turbatores.* Denique in *Contrariis*, de *abusu* Juris collectandi; de *non usu.* De *Immunitate*, *Præscriptione.* De *Reversalibus.* Tractatio plena, quæ non modò *doctrinas selectas* habet; verùm etiam documenta publica, ex *vivâ praxi* desumpta. JENAE, CIↃ IↃC XCII. 4.

CXLIV.

DISS. AD CAVSAS JVDICIVM CAMERALE FVNDANTES, JO. CHRISTOPHORI HVND, NOBIL. PALATINI.

Ex *Compromissô* posse adiri *Cameram Imperialem.* Cæterùm *ordinariam* esse ejus Jurisdictionem, & *cum Aulico Judicio concurrentem*; etiam in causis *Pacificationis Religiosæ.* Fundari eam vel per *simplicem querelam*; (iterumque rat. *Personarum* aut *Causarum*:) vel *per Appellationem.* Rat. *Causarum*, in *Fractâ Pace*, *Religiosâ* Pacific., Causis *Fiscalibus*, *Privilegii violati*, *Continentiæ causæ.* Tum progreditur *ad Causas*, in quibus *unà* requiritur *Immedietas Personarum*; & vel ratione *Rei conventi tantùm*; ùt sunt *protractæ* vel *denegatæ Justitiæ*, *Vrphedæ* extortæ, *Diffamationis*, & quando à

Præ-

Præcepto incipi poteſt; ubi de *Mandatis:* vel rat. *Vtriusque*, Rei & Actoris; ùt ſunt *Litigioſæ poſſeſſionis*, *Pignorationis*, *Arreſti.* Denique ut Perſonarum quidem ratio habeatur; ſed tamen *etiam cauſæ* intuitu: in quibus *Auſtregæ* non obtinent: velut *in Actibus*, qui non in jure Actionis conſiſtunt; ùt ſunt Adoptio, Tutoris datio, Commiſſio ad perpetuam rei memoriam: item in *executionibus* nonnullarum cauſarum. Sic & in quibus cauſis Camera cognoſcere non poſſit, nempe (1) in *Reſervatis* Cæſareis. (2) *Criminalibus*, *Matrimonialibus*, *Spiritualibus*, *Feudalibus*, oſtendit: atque ſingulos articulos eruditè deducit. JENÆ, CIↃ IↃC XCIII. 4.

CXLV.

DISS. DE FORMIS PROCVRATORIIS.

GEORGII GOELGEL, RATISBONENSIS.

Quid *Forma?* Quis *Procurator?* amplô ſenſu. *Ratihabitio* geſtorum falſi Procuratoris. *Ceſſionarii* Legitimatio. *Dominium litis.* *Reaſſumtio.* *Curatela Fœminarum.* *Actoria.* *Subſtitutio.* *Syndicatus.* *Plures* Procuratores. Syndici. Tutores. Curatores Mulierum. *Contrà plures.* Ad *unum actum:* quando ad alios ſufficiat. In *provocatione.* Quando ad *futuras cauſas* videatur conſtitutus. *Omnium bonorum* quid poſſit? Quid Procurator *cum liberâ.* Quid *ſpeciales*, ratione *rei* vel *formæ.* De *partibus Mandati*, ſigillo, ſubſcriptione, Clauſulis, rati, judicatum ſolvi, indemnitatis, renunciationum, Cautionis. De *Mandato ſpeciali* latiùs, cumprimis quænam id deſiderent? De eo quod eſt *cum liberâ*, plenè. De *revocatione* expreſsâ & tacitâ. Adeò ut quicquid in doctrinâ *Procura-*

Jc 5035 Qk

toriâ impeditum est, hîc discussum reperiatur. JENAE, CIↃ IↃC XCIV. 4.

CXLVI.

DISS. INAVGVR. continens COLLATIONEM PROCESSVS JVDICII PROVINCIALIS HOLSATIÆ, CVM PROCESSV JVRIS COMM. ET SAXON. ERICI HENNINGS, KILONIENSIS HOLSATI.

Primæ & secundæ Instantiæ, ad *Partem III.* der LandgerichtsOrdnung. Illustrat *Titulos* omnes, per singularia Processus: *Citationis*, *Mandatorum*, & *Appellationis*. In *Actibus singulis*, Cognitionis & Executionis; ubi & de *Banno*, tum & de *Sequestratione*, *Arrestis*, *Pignorationibus*: utili & ad *recentes Dd.* expensâ demonstratione.

* * *

Sunt & editâ quædam, (cumprimis *Considerationes* aliquæ & *Deductiones*,) nomini *Lynckeriano* adscripta; quod tamen nomen suum cùm ad illa professus Ipse non fuerit, Ideò consultò ea *h. l.* prætermittuntur.

S. D. G.

Qk. 256.

Z c 5035

LYN A. NVM

AD NENT,

BIBLIOTHECA ONICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HALLE (SAALE)

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-80604-p0133-6